





Lactantius de Vero Dei Cult
II
6
535










XXXIX

LACT. de
vero D. cult.
ed. KIRCHM



LUC. COEL. LACTANTII,

De

VERO DEI CULTU, LIBRUM

Cum collectis Floribus, è

LUC. ANN. SENECA,

Ad SAPIENTIAM, & VITAM

CHRISTIANO DIGNAM EXCOLENDAM,

Recensuit, emendavitqve diligenter

GEORG. CASP. KIRCHMAJERUS,

Orator. P. P. in Electoral. Saxonum Acad.

Anno cIↃ IↃc XC.





WITTEBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

Sumtibus Editoris.

PATERNA ADHORTATIO
Ad Filios Chariſſimos,
GEORGIUM CASIMIRUM,
CAROLUM CHRISTIANUM,
HENRICUM JULIUM,
GEORGIUM GVILIELMUM,
JOHANNEM ABRAHAMUM,
&
JOHANNEM FRIDERICUM,
Germanos Fratres
KIRCHMAJEROS.

AD concordiæ ſignificationem ac amorem, Pater filios & voco, & conjungo: ut non tantùm inter vos, ſed bonos qvoslibet unanimes vivatis. Repeto dein, ac jure qvodam poſtulo à vobis, inde ab ungviculis tenerioribus, tàm seriò ſemperqve inſtillatam pietatem, ſine fuco. Fallere mortales homo, Καρδιογνώστην nemo poteſt. Hic, prout à nobis eſt tractatus, *Seneca* dicente noſtro, ſic nos ipſe tractat iterùm. Et, ut

ſciatis,

ſciatis, corde ſimplici profiteor, me Matrem *Monicam*, ſi modò unqvàm *Auguſtini* nomen meruiſſem, habuiſſe. Hæc à puero tot curis, ab adoleſcente tot proviſionibus ac lacrymis, à Viro deniqve tot præmiis intemeratæ pietatis exercitium imperio materno reqviſivit; ut optaverit, pro dote illud mihi dari. Vanus ſim, ſi ullam inde, præter imbecillitatis propriæ confeſſionem, gloriam affectem. Ego interim non obſecro duntaxat vos, ſed, pro jure poteſtatis patriæ, adjuro etiam; ut à vero Dei cultu, ut à Zelo nominis ipſius, ſobriè ac reverenter propagandi, & hoc genere vivendi, qvod Majores noſtros nosqve decet, qvoad ſpiritus hos reget artûs veſtros, nunqvàm recedatis planè! Fructûs ſpondeo hinc ſine numero, ſine fine; ſapientiam, juſtitiæ amorem, veritatem, ſtudia virtutum homileticarum, & pediſſeqvos honores. Per hæc, qvid velim, nomina intelligitis, *qvi graviorum ſtudiorum* (Facultates vulgò vocant,) rationes elegiſtis, priores natu qvatuor, & præceptionum cauſas cognitas habetis; reliqvi poſteriores natu, minores fratres veſtri, qvia ex anguſtiis tenuioris literaturæ nondum ſunt egreſſi, ἐὰν θελήσῃ Κύριος, καὶ ζήσωμεν, seqventur, aut cum annis aſſeqventur; niſi militaris genius avertat alterum ab amœnitatibus Muſarum. Hunc LACTANTII, è divi-

è divinis Institutionibus, libellum, & hos Flores SENECÆ, κειμήλια, pro vitæ regula commendo vobis, ac, ut peculium castrense, proprium relinqvo. Æstimabitis thesauri loco, si parentes vestros, imò Deum potiùs, amabitis. Ex seculi corrupti plurimis difficultatibus existimabo me in tuto collocatum, nec acerbam ampliùs putabo vitam, si hûc mores refingatis vestros. In compendium sermonem parænetìcum hunc cogam: Seriò id agite, ut piè, sobriè, concorditer vivatis! nec vos luxus occupet malorum, neqve otiosos reddat alea, fur pretiosi temporis, nec intempestiva parsimonia vecordes, nec spes lucri inhonestioris cupidos, nec dignitatum aliqvando titulus elatos, sed nec desperatos invidorum odium. Conservet animis corporibusqve sanos vos ac salvos SS. Trinitas! qvoad coràm in gloria vos sistam, & exsultem: Hi sunt illi, qvos dedisti mihi filios formandos! nemo ex his periit! *Nemo ex his pereat!* Sic exopto, sic, per Jesum, unicè exoro!

Parens vester fideliss.

Wittenbergæ, ipso die Eusebii, XIX. Kalend. Septemb. Anno ↄIↄ Iↄc XC.

GEORG. CASPAR KIRCHMAJERUS.

PRÆFATIO Ad LECTOREM.



QVæ à publicando hoc opuſculo retrahere me poterant, fuerunt non omninò nulla hæc impedimenta. Primùm enim nemo Bibliopolarum, qvotqvot hîc ſunt, facere impenſam ullam in *Lactantÿ* de *vero Dei cultu* librum; & ex *Seneca* collectos Sapientiæ, plus qvàm humanæ, flores voluit. Si folia *Sibyllæ*, ſi amorum libros, ſi qvæ ludicra,* ut ſunt inutilia phantaſmata, perdendo tempori conſuta obtuliſſem; credo manibus apprehenſuros facilè ambabus talia fuiſſe alios. Eò ventum eſt in præſens; ut contemptui ſit cultûs etiam divini ſtudium. Deinde temporis, in qvo nunc vivimus, malignitas, & paſſionum, qvibus dediti mortales (nec è vulgo qvidem) ſunt, intemperies, non nihil poſuit obſtaculi. Ipſius qvippe PIETATIS nomen, ſi modeſtè pariter ac ſeriò tractetur, aut ſuſpectum eſt aliqvibus, ſub ſectæ nomine larvato; (dum non niſi ſpeciem, pro efficaciore vi, prætexere putatur ſæpè,) vel ad genium depravati ſeculi formatis odioſum. Unde tot elenchi in ſimulatores, *Pietiſtas*, homines fanaticos, *Singulariſtas* (veniam Latinitatis, pariter corruptæ, oro,) & verborum ſpicula jactata. O infelix ævum, qvo non licet probitatis titulum impunè ampliùs ſectari; ut exemplo qvoqve proſis! Poſtremùm liberè fatebor, propter cacoëthes Juventutis Academicæ, in numerato me habere Auditores, ad conſpectum unicum, in acroaſibus & ſcho-

* Vom Politiſchen Näſcher/ oder Maulaffen ꝛc.

& ſcholis publicis, huc usqve potuiſſe: habiturus fortè plures, ſi aut delira verpulorum ſomnia, aut judicia curioſa è, & de novellis profiterer. His conditionibus, periculoſum videatur, peſtilentes emendare mores, & adducere ad verum cultum Numinis perfrictæ frontis homines.

Obfirmavi tamen planè animum, ad perferendas omnis generis injurias, pro amplificanda gloria divinâ. Tædet etiam, Scriptoribus paganis, & ut plurimùm profanis explicandis, immorari longiùs, aut immori; Romanis ſcilicet Poëtis, Oratoribus, Hiſtoricis, Philoſophis, Platonicis, ſeu Stoicis; (excepto ſolo *Senecâ*) dum per XXX. penè annos cathedras doctrinis lectionibusqve horum animavi. Colligenda mihi ad æternum iter vaſa ſunt; ac, velint, nolint alii, cum cortice Latinitatis, fidei ac vitæ Chriſtianæ nuclei repræſentandi publico. Egregiè *Lactantius* 1. de Relig. falſ. c. 1. *Non tàm de rebus humanis benè meretur*, inqvit, *qvi ſcientiam benè dicendi affert; qvàm, qvi piè atq; innocenter docet vivere. --- Qvoniam benè dicere ad paucos pertinet, benè autem vivere, ad omnes.* Oratoris eſt videlicet, (*Qvintiliano Fabio* monente, in procem. Inſtit.) *regere conſiliis urbes, fundare LL. publicarum item privatarumq; adminiſtrationi ſe accommodare.* Teſtimonio *Siberi*, Eloqventiæ hîc olim qvoq; Prof. optimè promeriti, *Orator veluti Conſiliarius habendus ac interpres; qvi, qvid faciendum ſit? pronunciat non modò; ſed &, qvomodò qvid fieri debeat, aut poſſit? & ſi factum; utrum utile, honeſtum, juſtum fuerit? aut inutile, injuſtum, inhoneſtum ſit futurum?* Diſſert. XXI. p. 268. Ne verò forenſibus tantummodò negotiis adſtringi Oratorem putes, Sapiens Romanus audiatur: *Non is ſolus Reip. prodeſt,*

qvi

*qvi Candidatos extrahit, tuetur reos, & de pace belloq; censet: sed qvi juventutem (*Academicam inprimis*) exhortatur; qvi virtute instruit animos, in privato agit publicum negotium.*

Qvæ me merito moverunt, ut necessitati intercederem, privatis sumtibus incomparabilem *Lactantij* edendo librum, & cum Floribus, è *Seneca* excerptis, connectendo. Prodiit *Coloniæ* ad Rhenum labor elegans posterior, jam Anno 1644. & ante annos sedecim, non sine sphalmatum multorum intercursu, qvanqvàm in minori forma, *Dresdæ*. Prior hactenùs non visus separatim; publicis uterqve interim prælectionibus per annotamenta necessaria & utilia illustratus, atqve illustrandus porrò. Deerant nimirum exemplaria; ad manum manuscripti mihi Codd. intereà, pro emendando *Cœlio Lactantio*, & variæ ad *Senecam* interpolationes. Seu agnoscant, sive minùs, Cives nostri literati; militare bono publico, prodesse omnibus, & inservire plurimis, decrevi. Mallem tamen Flores Christianos potiùs, qvàm *Christianum Senecam* vocassent utrobiqve illi editores! non fortassis in præfatione ad Lectorem ausi essent, cœtui Sanctorum in Ecclesia annumerare hunc Philosophum, ex Stoicis, Romanum; *Hieronymi* auctoritate, & (qvis fidem habeat narrationibus his?) *Lini*, divi *Petri*, in Pontificatu successoris scilicet, decepti. Nec me movet *Lipsius*, qvi *penè-Christianum Senecam* appellat; nec confictæ, *Paullum* inter & eundem, literæ reciprocatæ, id evincunt: cùm supposititiæ sint merè; ut ostensum est peculiari loco fusiùs, in annotatis. Tu hæc boni consule tantisper, HONORANDE LECTOR, & nobiscum utere præsentibus, & cum salute fave!

L. COE-

L. COELII LACTANTII FIRMIANI,
Divinar. Institut. Lib. VI.
De
VERO DEI CULTU.
CAP. I.


Vod erat officium suscepti muneris, divino spiritu instruente, ac suffragante ipsâ veritate, complevimus. Cujus asserendæ, atq; illustrandæ causam mihi & scientiam, & fides, & ipse Dominus noster imposuit: sine qvo nec sciri qvicqvam potest, nec explicari. Venio nunc ad id, qvod est summum operis hujus, & maximum; ut doceam, qvo ritu, qvovê sacrificio Deum coli oporteat? Id enim est hominis officium, in eoqve solo summa rerum, & omnis beatæ vitæ ratio consistit; qvandoqvidem propterea ficti, & inspirati ab eô sumus; non ut cœlum videremus, & solem, (qvod Anaxagoras putavit,) sed ut artificem solis, & cœli Deum, purâ & integrâ mente coleremus. Qvamvis autem præcedentibus libris, pro ingenii mediocritate defenderim veritatem, tamen ex ritu qvoqve ipso elucere vel maximè potest. Nihil enim sancta, & singularis illa Majestas, aliud ab homine desiderat, qvàm solam innocentiam: qvam si qvis obtulerit Deo; satis piè, satis religiosè litavit. Homines autem neglectâ justitiâ, cùm sint omnibus flagitiis ac sceleribus inqvinati, religiosos se putant, si templa, ac aras hostiarum sangvine cruentaverint; si focos odorati, ac veteris vini profusione madefecerint. Qvin etiam

ſacras dapes apparant, & exqviſitas epulas; qvaſi aliqvid inde libaturis offerunt. Qvicqvid aſpectu rarum, qvicqvid opere, aut odore pretioſum eſt, id gratum eſſe Diis ſuis, non ex aliqva divinitatis ratione, qvam neſciunt, ſed ex ſuis cupiditatibus judicant; nec intelligunt, terrenis opibus Deum non indigere. Nihil enim ſapiunt, niſi terram; bonaqve & mala, ſolius corporis ſenſu, & voluptate perpendunt. Hujus arbitrio, ut religionem ponderant, ſic totius vitæ ſuæ acta diſponunt. Et qvoniam ſe ſemel à cœli contemplatione averterunt, ſenſumqve illum cœleſtem corpori mancipaverunt; libidinibus frena permittunt; tanqvàm ſecum ablaturi voluptatem, qvam momentis omnibus capere feſtinant; cùm animus miniſterio corporis, non corpus miniſterio animi uti debeat. Iidem maximum bonum judicant opes; qvas, ſi bonis artibus aſſeqvi non poſſunt, malis aſſeqvuntur; fraudant; rapiunt; ſpoliant; inſidiantur; abjurant; nihil deniq; moderati, aut penſi habent, dummodò auro coruſcent; argento, gemmis, veſtibus fulgeant; avidiſſimo ventri opes ingerant; ſtipati familiarium gregibus, per dimotum populum ſemper incedant. Sic addicti & ſervientes voluptatibus, vim vigoremqve mentis extingvunt; &, cum vivere ſe maximè putant, ad mortem concitatiſſimè properant. nam, ſicut in ſecundo libro docuimus, cœli ratio in animo, terræ autem in corpore eſt. Qvi bona negligunt animi, & corporis appetunt; in tenebris, ac morte verſantur, qvæ ſunt terræ, atqve corporis; qvia vita, & lumen à cœlo eſt; cujus qvoniam expertes ſunt, corpori ſerviendo, longè abſunt ab intellectu rerum divinarum. Eadem miſeros ubiqve cœcitas premit. Sicut enim qvi ſit verus Deus, ita qvi ſit verus cultus, ignorant.

CAP. II.

Mactant igitur opimas ac pingues hostias Deo, qvasi esurienti; profundunt vina, tanqvàm sitienti, accendunt lumina, velut in tenebris agenti. Qvod si suspicari, aut percipere animo possent, qvæ sint bona illa cœlestia? qvorum magnitudinem, terreno adhuc corpore obvoluti, sensu capere non possumus: jam se cum his officiis inanibus, stultissimos esse cognoscant. Vel si cœleste lumen, qvod dicimus solem, contemplari velint; jam sentiant, qvod non indigeat lucernis eorum Deus; qvi ipse in usum hominis tam claram, tam candidam lucem dedit. Et tamen cùm in tàm parvo circulo, qvi, propter longinqvitatem, non ampliùs, qvàm humani capitis videtur habere mensuram, tantum sit fulgoris, ut eum mortalium luminum acies non qveat contueri; &, si paulisper intenderis, hebetatos oculos caligo, ac tenebræ conseqvantur: qvid tandem luminis, qvid claritatis apud ipsum Deum, penes qvem nulla nox est, esse arbitremur? qvi hanc ipsam lucem sic moderatus est, ut neqve nimiô fulgore, neqve calore vehementi noceret animantibus; tantumqve istarum rerum dedit ei, qvantum aut mortalia corpora pati possunt, aut frugum maturitas postularet. Num igitur mentis suæ compos putandus est, qvi auctori, & datori luminis, candelarum, ac cerarum lumen offert, pro munere? Aliud verò ille à nobis exigit lumen, & qvidem non fumidum, sed (ut ait Poëta) liqvidum, atqve clarum, mentis scilicet; propter qvod à Poëtis Φῶς nuncupatur; qvod exhibere non potest, nisi qvi Deum agnoverit. Illorum autem Dii, qvia terreni sunt, egent luminibus, ne in tenebris sint. Qvorum cultores, qvia cœleste nihil sapiunt; etiam religiones, qvibus deserviunt, ad terram revocant.

In ea enim lumine opus est; qvia ratio ejus, & natura tenebrosa est. Itaqve Diis non cœlestem sensum, sed humanum potiùs attribuunt. Ideòqve illis necessaria, & grata credunt esse, qvæ nobis; qvibus aut esurientibus opus est cibo; aut sitientibus, potu; aut veste, algentibus; aut, cùm sol decesserit, lumine; ut videre possimus. Nullis igitur ex rebus tàm probari, & intelligi potest, Deos istos, cùm aliqvando vixerint, mortuos esse, qvàm ex ipso ritu, qvi est totus è terra. Qvid enim cœlestis in se boni potest habere pecudum sangvis effusus, qvo aras inqvinant? nisi fortè Deos existimant eo vesci, qvod homines aspernantur attingere. Et qvisqvis illis hanc saginam præstiterit, qvamvis ille grassator, adulter, veneficus, parricida sit; beatus, ac felix erit. Hunc diligunt, hunc tuentur, huic omnia, qvæ optaverit, præstant. Meritò ergo *Persius* hujuscemodi superstitiones suo more deridet:

— *Qvá tu* (inqvit) *mercede Deorum*
Qværis auriculas; pulmone, & lactibus unctis?

Sentiebat videlicet, non carne opus esse, ad placandam cœlestem Majestatem, sed mente sanctâ, & justo animo, & pectore, (ut ipse ait) qvod naturali sit honestate generosum. Hæc est religio cœlestis; non qvæ constat ex rebus corruptis, sed qvæ virtutibus animi, qvi oritur e cœlo. Hic verus est cultus; in qvo mens colentis seipsum Deo immaculatam victimam sistit. Id autem ipsum qvomodò conseqvendum, qvomodò præstandum sit? docebit hujus libri disputatio. Nihil enim tam præclarum, hominiqve conveniens potest esse, qvàm erudire homines ad justitiam. Apud *Ciceronem Catulus* in *Hortensio* philosophiam rebus omnibus præferens, malle se dicit vel unum parvum

parvum de officio libellum, qvàm longam orationem, pro seditioso homine *Cornelio*. Qvæ sententia non utiqve *Catuli*, qvi fortasse illud non dixit, sed *Ciceronis* est putanda, qvi scripsit. Credo, ut libellos, qvos de officiis erat scripturus, commendaret: in qvibus ipsis, nihil esse, testatur in omni philosophia melius, & fructuosius, qvàm præcepta vitæ dare. Qvod si hoc illi faciunt, qvibus non est veritas cognita; qvantò magis nos facere debemus, qvi à Deo eruditi, & illuminati, possumus vera præcipere? nec tamen sic docebimus, ut qvasi prima virtutis elementa tradamus, qvod est infinitum; sed, tanqvàm susceperimus eum, qvi apud illos jam perfectus esse videatur. Manentibus enim præceptis eorum, qvæ solent ad probitatem rectè dari, ignota illis superstruemus, ad perficiendam consummandamqve justitiam, qvam non tenent. Ea verò, qvæ possent cum illis esse communia, prætermittam; ne qvid ab iis videar mutuari, qvorum errores coarguere, atqve aperire decreverim.

CAP. III.

Duæ sunt viæ, (Constantine Imp.) per qvas humanam vitam progredi necesse est; una, qvæ in cœlum ferat; altera, qvæ ad inferos deprimat; qvas & Poëta in carminibus, & Philosophi in disputationibus suis induxerunt. Et qvidem Philosophi alterum virtutum esse voluerunt, alteram vitiorum; eamqve, qvæ sit assignata virtutibus, primo aditu esse & arduam, & confragosam; in qva si qvis, difficultate superatâ, in summum ejus evaserit, habere enim de cætero planum iter, lucidum, amœnumq; campum, & omnes laborum suorum capere fructûs uberes, atqve jucundos. Qvas autem primi aditus difficultas deterruerit; eos in eam vitiorum viam labi, atq; de-

flectere, qvæ primo ingressu sit qvasi amœna, multoq; tritior: deinde, cùm in eam paulò ulteriùs processerint; amœnitatis ejus speciem repentè subduci: exoriri autem viam præcipitem nunc saxis asperam, nunc obductam sentibus, nunc gurgitibus intercisam, vel torrentibus rapidam; ut laborare, hærere, labi, cadere, sit necesse. Qvæ omnia eò proferuntur, ut appareat, in virtutibus capiendis, labores esse maximos; in perceptis autem maximos fructûs, & solidas atqve incocorruptas voluptates: vitia verò qvibusdam delinimentis naturalibus illicere animos hominum; & inanium jucunditatum specie captos, ad acerbas amaritudines miseriasqve perducere. Sapiens prorsus disputatio, si virtutum ipsarum formas, atqve terminos scirent. Non enim didicerant, vel qvæ sint, vel qvid eas mercedis à Deo maneat? qvod nos his duobus libris docebimus. Hi verò, qvia ignorabant, aut dubitabant, animas hominum immortales esse, virtutes & vitia terrenis honoribus, aut pœnis æstimaverunt. Omnis ergo hæc de duabus viis disputatio ad frugalitatem, ac luxuriam spectat. Dicunt enim, humanæ vitæ cursum Y literæ esse similem; qvòd unusqvisqve hominum, cùm primùm adolescentiæ limen attigerit, & in eum locum venerit, *partes ubi se via findit in ambas*, hæreat nutabundus, ac nesciat, in qvam se partem potiùs inclinet. Si ducem nactus fuerit, qvi dirigit ad meliora titubantem; hoc est, si aut philosophiam didicerit, aut eloqventiam, aut aliqvid honestæ artis, qvò evadat ad bonam frugem; qvod fieri, sine labore maximo, non potest: honestam, ac copiosam vitam disputant, peracturum. Si verò doctorem frugalitatis non invenerit; in sinistram viam, qvæ melioris speciem mentiatur, incedere; id est, desidiæ, inertiæ,

luxuriæ

luxuriæ ſe tradere; qvæ ſvavia qvidem videntur ad tempus, vera bona ignoranti; poſt autem, amiſsâ omni dignitate, ac re familiari, in omnibus miſeriis, ignominiaqve victurum. Ad corpus ergo, & ad hanc vitam, qvam in terra ducimus, fines earum viarum retulerunt. Poëtæ fortaſſe meliùs, qvi hoc bivium apud inferos eſſe voluerunt. Sed in eo falluntur; qvòd eas vias mortuis propoſuerunt. Utriqve ergo verè, ſed tamen utriqve non rectè; qvia oportuit vias ipſas ad vitam, fines earum ad mortem referri. Nos igitur meliùs, & veriùs, qvi duas iſtas vias, cœli, & inferorum eſſe dicimus; qvia juſtis immortalitas, injuſtis pœna æterna propoſita eſt. Qvomodò autem viæ iſtæ vel in cœlum tollant, vel ad inferna præcipitent, explicabo; aperiamqve, qvæ ſint virtutis, qvas Philoſophi neſcierunt: tùm, earum qvæ ſint præmia; ſimul etiam, qvæ ſint vitia, qvæve eorum ſupplicia, monſtrabo. Nam fortaſſe aliqvis expectet, ut ſeparatim de vitiis, ac virtutibus dicam; cùm de bono, aut malo differentibus nobis, etiam, qvod eſt contrarium, poſſit intelligi. Si enim virtutes inferas; vitia, ſuâ ſponte, decedant. Sive etiam vitia eximas; virtutes ultrò ſubibunt. Sic bonorum ac malorum conſtituta natura eſt, ut ſe invicem ſemper oppugnent, ſemper expellant. Ita fit, ut neqve vitia detrahi ſine virtutibus poſſint, nec virtutes inſeri, ſine detractione vitiorum. Has igitur vias longè aliter inducimus, qvàm à Philoſophis induci ſolent: primùm, qvòd utriqve præpoſitum eſſe dicimus, Ducem, utrumqve immortalem: ſed alterum honoratum, qvi virtutibus ac bonis præſit; alterum damnatum, qvi vitiis, ac malis. Illi autem in dexteriore tantùm via ducem ponunt, neqve unum, neqve perpetuum. Siquidem quemlibet doctorem bonæ artis inducunt, qvi à deſi-

desidiâ revocet homines, & frugi esse doceat. Sed neqve ingredi faciunt in eam viam, nisi pueros, & adolescentes; videlicet per quod artes discantur in his ætatibus. Nos autem, omnis sexus, & generis, & ætatis, in hoc cœleste iter inducimus: qvia Deus, qui ejus viæ dux est, immortalitatem nulli homini nato negat. Forma qvoqve ipsarum viarum non ita est, ut illi putaverunt. Qvid enim opus est Y litera in rebus contrariis, atqve diversis? Sed altera illa melior, conversa est ad solis ortum; altera illa deterior ad occasum: qvoniam, qvi veritatem ac justitiam seqvitur, is accepto immortalitatis præmio, perenni luce potietur: qvi autem ab illo malo duce illectus prætulerit vitia virtutibus, mendacium veritati; necesse est, ad occasum, & tenebras deferatur. Describam igitur utramqve; & earum proprietates habitusqve monstrabo.

CAP. IV.

Una est itaqve virtutis, ac bonorum via, qvæ fert non in Elysios campos, (ut Poëtæ loqvuntur) sed ad ipsam mundi arcem.

— At læva, malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

Est enim criminatoris illius; qui pravis religionibus institutis avertit homines ab itinere cœlesti, & in viam perditionis inducit. Cujus viæ species, & figura sic est composita in aspectu, ut plana, & patens, & omni genere florum, atqve fructuum delectabilis esse videatur; in ea enim posita omnia, qvæ pro bonis habentur in terra; opulentiam dico, honorem, qvietem, voluptatem, illecebras omnes: sed cum his pariter injustitiam, crudelitatem, superbiam, perfidiam, libidinem, cupiditatem, discordiam, igno-

ignorantiam, mendacium, ſtultitiam, cæteraqve vitia. Exitus autem hujus viæ talis eſt. Cùm ventum fuerit ad extremum, unde jam regredi non licet; cum omni ſua pulchritudine tam ſubitò præciditur; ut non ante qvis fraudem proſpicere poſſit, qvàm præcipitatus ex altitudine in profunda cadat. Qvisqvis enim præſentium bonorum ſpecie captus, & in his conſeqvendis, ac fruendis occupatus, non præviderit ea, qvæ poſt mortem ſecutura ſunt, ſeqve à Deo averterit; is verò ad inferos dejectus, in æternam damnabitur pœnam. Via verò illa cœleſtis difficilis, & clivoſa propoſita eſt, vel ſpinis horrentibus aſpera, vel ſaxis extantibus impedita; ut cum ſummo labore, ac pedum tritu, cumqve magna cadendi ſolicitudine ſit cuiqve gradiendum. In hac poſuit juſtitiam, temperantiam, patientiam, fidem, caſtitatem, abſtinentiam, concordiam, ſcientiam, veritatem, ſapientiam, cæteraſqve virtutes; ſed ſimul cum his paupertatem, ignominiam, laborem, dolorem, amaritudines omnes. Qvisqvis enim ſpem ſuam porrexerit longiùs, & meliora maluerit, carebit his terræ bonis; ut expeditus, ac levis difficultatem viæ ſuperet. Nec enim poteſt, qui ſe apparatu regio circundederit, aut divitiis oneravit, anguſtias illas vel ingredi, vel tenere. Unde intelligitur, iccircò malis & injuſtis faciliùs provenire, qvæ cupiant; qvia prona, & declivis eſt eorum via: bonis autem, qvæ optent, difficile procedere; qvia difficili, & arduo itinere gradiuntur. Juſtus ergo, qvoniam durum, aſperumqve iter ingreſſus eſt, contemptui, deriſui, odio ſit, neceſſe eſt. Omnes enim, qvos cupiditas, aut voluptas præcipites trahit, invident ei, qvi virtutem capere potuit; & iniqvè ferunt, id habere aliqvem, qvod ipſi non habent. Erit itaqve pauper, humilis, ignobilis, ſubjectus injuriæ;

& tamen omnia, qvæ amara sunt, perferens. Et, si patientiam jugem, ad summum illum gradum, finemqve perduxerit, dabitur ei corona virtutis; & à Deo, pro laboribus, qvos in vita, propter justitiam pertulit, immortalitate donabitur. Hæ sunt viæ, qvas Deus humanæ vitæ assignavit; in qvibus singulis & bona ostendit, & mala; sed ordine præpostero, atqve converso. In una enim monstravit temporalia priùs mala, cum æternis bonis; qvi est ordo melior: in altera, temporalia priùs bona, cum æternis malis; qvi est ordo deterior: ut, qvicunqve præsentia mala cum justitia delegerit; majora, & certiora conseqvatur bona, qvàm fuerunt illa, qvæ sprevit: qvisqvis autem præsentia bona præposuerit justitiæ; in majora, & longiora incidat mala, qvàm fuerunt illa, qvæ fugit. Hæc enim vita temporalis, qvia brevis est; iccircò & bona ejus, & mala, brevia sint, necesse est. Illa verò spiritalis, qvæ huic terrenæ contraria est; qvoniam sempiterna est; iccircò & bona ejus, & mala sempiterna sunt. Ita fit, ut & bonis brevibus mala æterna, & malis brevibus bona æterna succedant. Itaqve cùm simul proposita sint homini bona, & mala; considerare unumqvemqve secum decet, qvantò satius sit, perpetuis bonis mala brevia pensare; qvàm, pro brevibus, & caducis bonis mala perpetua sustinere. Nam, sicut in hoc seculo, cum est propositum cum hoste certamen, priùs laborandum est, ut sis postmodùm in otio; esuriendum, sitiendum; æstus, frigora perferenda; humi qviescendum; vigilandum; periclitandum est, ut, salvis pignoribus, & domo, & re familiari, & omnibus, pacis ac victoriæ bonis perfrui possis: sin autem præsens otium malueris, qvàm laborem, malum tibi maximum facias, necesse est: præoccupabit enim adversarius non resistentem;

vasta-

vastabuntur agri; diripietur domus; in prædam uxor ac liberi venient; & tu ipse interficiere, aut capiere: qvæ omnia, ne accidant, præsens commodum differendum est, ut majus longiusqve pariatur. Sic in omni hac vita, qvia nobis adversarium Deus reservavit, ut possemus capere virtutem, omittenda est præsens voluptas, ne hostis opprimat; vigilandum, stationes agendæ, militares expeditiones obeundæ, fundendus ad ultimum cruor, omnia deniqve amara & graviora patienter ferenda; eò qvidem promptiùs, qvò nobis Imperator noster Deus præmia pro laboribus æterna constituit. Et cùm in hac terrena militia tantum homines laboris exhauriant, ut ea sibi pariant, qvæ possunt eodem modo perire, qvo parta sunt; certè nobis nullus labor est recusandus; qvibus id acqviritur, qvod nnllo modo possit amitti. Voluit enim Deus, qvi homines ad hanc militiam genuit, expeditos in acie stare; & intentis acriter animis, ad unius hostis insidias, vel apertos impetûs vigilare; qvi nos, sicut periti, & exercitati duces solent, variis artibus captat, pro cujusqve natura, & moribus sæviens. Aliis enim cupiditatem insatiabilem immittit, ut opibus suis tanqvàm compedibus illigatos, à via veritatis excutiat. Alios inflammat iræ stimulis; ut ad nocendum potiùs intentos, à Dei contemplatione detorqveat. Alios immoderatis libidinibus immergit; ut voluptati & corpori servientes, ad virtutem respicere non possint. Aliis vero inspirat invidiam, ut suis ipsi tormentis occupati, nihil cogitent aliud, nisi eorum, qvos oderint, felicitatem. Alios inflammat ambitionibus. Ii sunt, qvi ad gerendos magistratûs omnem vitæ suæ operam curamqve convertunt; ut fastos signent, & annis nomen imponant. Qvorundam cupiditas tendit altiùs; non,

ut provincias temporali gladio regant; ſed ut infinitâ, & perpetuâ poteſtate Dominos ſe dici velint univerſi generis humani. Qvos autem pios viderit, vanis implicat religionibus, ut impios faciat. Iis verò, qvi ſapientiam qværunt, Philoſophiam in oculos impingit; uti ſpecie lucis excæcet; neqvis comprehendat, ac teneat veritatem. Sic hominibus obſtruxit aditûs omnes, & obſepſit vias, publicis lætus erroribus: qvos ut diſcutere poſſemus, ipſumq; auctorem malorum vincere, illuminavit nos Deus, & armavit verâ cœleſtiqve virtute; de qva nunc mihi diſſerendum eſt.

CAP. V.

Sed priùs, qvàm ſingulas virtutes exponere incipiam, determinanda eſt ipſa virtus; qvam non rectè Philoſophi definierunt, qvid eſſet, aut in qvibus rebus? qvid operis, qvid habeat officii. Nomen itaqve ſolum retinuerunt, vim verò, & rationem, & effectum perdiderunt. Qværcunqve autem in definitionem virtutis ſolent dicere, paucis verſibus colligit, & enarrat Lucilius: qvos malo eqvidem ponere; ne, dum multorum ſententias refello, ſim longior, qvàm neceſſe eſt:

Virtus Albine eſt, pretium perſolvere verum;
Qveis in verſamur, qveis vivimus rebus adeſſe,
Virtus eſt hominis, ſcire id, qvod qvæq; habeat res?
Virtus, ſcire, homini, rectum, utile, qvid ſit honeſtum,
Qvæ bona, qvæ mala item, qvid utile, turpe, inhoneſtum?
Virtus, qværendæ finem rei ſcire, modumq;.
Virtus, divitiis pretium perſolvere poſſe.
Virtus, id dare, qvod re ipsâ debetur honori:
Hoſtem eſſe, atq; inimicum hominum, morumq; malorum;

Contra,

Contra, defensorem hominum, morumq; bonorum;
Hos magnifacere, his bene velle, his vivere amicum:
Commoda præterea patriæ sibi prima putare.
Deinde parentum, tertia jam, postremaq; nostra.

Ab iis definitionibus, qvas Poëta breviter comprehendit, M. Tullius traxit officia vivendi, Panætium Stoicum secutus; eaqve tribus voluminibus inclusit. Hæc autem qvàm falsa sint, mox videbimus; ut appareat, qvantum in nos dignatio divina contulerit, qvæ nobis aperuit veritatem. Virtutem esse dixit, scire, qvid sit bonum, & malum; qvid turpe, qvid honestum; qvid utile, qvid minus? Brevius facere potuit, si tantùm bonum, ac malum diceret; qvia nihil potest esse utile, vel honestum, qvod non idem bonum sit; nihil utile, ac turpe, qvod non idem malum. Qvod & Philosophis videtur; & idem *Cicero* in tertio supradicti operis libro ostendit. Verùm scientia non potest esse virtus; qvia non est intus in nobis, sed ad nos extrinsecùs venit. Qvod autem transire ab altero ad alterum potest, virtus non est; qvia virtus sua cuiqve est. Scientia igitur alieni beneficii est, qvia posita est in audiendo. Virtus tota nostra est; qvia posita est in voluntate faciendi bona. Sicut ergo in itinere celerando nihil prodest, viam nosse; nisi conatus ac vires suppeditent ambulandi: ita verò scientia nihil prodest, si virtus propria deficiat. Nam ferè etiam ii, qvi peccant, & si non perfectè, tamen qvid sit bonum, & malum, sentiunt; & qvoties aliqvid improbè faciunt, peccare se sciunt, & ideò celare nituntur. Sed cùm eos, boni & mali natura non fallat, cupiditate malâ vincuntur, ut peccent; quia deest illis virtus, id est cupiditas recta, & honesta faciendi. Ex hoc igitur apparet, aliud esse scientiam boni, maliqve; aliud,

virtutem; qvòd poteſt eſſe ſcientia, ſine virtute; ſicut in plurimis Philoſophorum fuit. In qvo, qvoniam rectè ad culpam pertinet, non feciſſe, qvæ ſcieris; rectè voluntas prava, & vitioſus animus, qvem excuſare ignoratio non poteſt, punietur. Ergo ſicut virtus non eſt, bonum, ac malum ſcire; ita virtus eſt, bonum facere, malum non facere. Et tamen ſcientia ſic cum virtute conjuncta eſt, ut ſcientia præcedat virtutem, virtus ſeqvatur ſcientiam; qvia nihil prodeſt cognitio; niſi & actio ſubſeqvatur. *Horatius* igitur paulò meliùs;

Virtus eſt, vitium fugere; & ſapientia prima,
Stultitiâ caruiſſe. —— ——

Sed ineptè, qvòd eam contrario terminavit, ut ſi diceret: bonum eſt, qvod malum non eſt. Cum enim, qvid ſit virtus, neſcio; ne vitium qvidem qvid ſit, ſcio. Utrunqve igitur indiget definitione; qvia natura rei talis eſt, ut utrumqve aut intelligi, aut non intelligi, ſit neceſſe. Verùm nos faciamus, qvod ille debuit. Virtus eſt, iram cohibere; cupiditatem compeſcere; libidinem refrenare, id eſt enim, vitium fugere. Nam ferè omnia, qvæ fiunt injuſtè, atqve improbè, ab his oriuntur affectibus. Si enim commotionis hujus, qvæ ira dicitur, impetus retundatur; omnes hominum contentiones malæ ſopientur; nemo inſidiabitur; nemo proſiliet ad nocendum. Item ſi cupiditas temperetur; nemo terrâ mariqve graſſabitur; nemo exercitum ducet, ut rapiat, & vaſtet aliena. Item ſi ardor libidinum comprimatur; omnis ætas & ſexus retinebit ſuam ſanctitatem; nemo qvicqvam pudendum aut patietur, aut faciet. Ergò univerſa ſcelera, & flagitia, his commotionibus virtute ſedatis, ex hominum vita moribusqve tollentur. Qvæ ſedatio commotionum, & affe-

ctuum

ctuum hanc habet rationem, ut omnia recta faciamus. Omnis igitur virtutis officium est, non peccare, qvo profectò fingi non potest, qvi Deum nescit: qvoniam ignoratio ejus, à qvo bona oriuntur, imprudentem impingat in vitia, necesse est. Itaqve ut breviùs, & significantiùs utriusqve rei summa officia determinemus; scientia est, Deum nosse; virtus, colere. In illo sapientia, in hoc justitia continetur.

CAP. VI.

Dixi, qvod erat primum, scientiam boni, non esse virtutem: deinde, qvid sit virtus, & in qvo sit. Seqvitur, ut id qvoqve ipsum, qvid sit bonum, & malum, nescisse Philosophos, breviter ostendam; qvod penè declaratum est libro tertio, cùm de summo bono disputarem. Qvi autem, qvid esset summum, nescierunt; & in cæteris bonis, malisve, qvæ summa non sunt; erraverint, necesse est: qvæ non potest vero judicio examinare, qvi fontem ipsum non tenet, unde illa descendunt. Fons autem bonorum Deus est; malorum verò ille, scilicet divini nominis semper inimicus, de qvo sæpè diximus. Ab his duobus principiis bona malaqve oriuntur. Qvæ veniunt à Deo, hanc habent rationem; ut immortalitatem parent; qvod est summum bonum: qvæ autem ab illo altero; id habent officium; ut cœlestibus avocatum, terrenisq; demersum, ad pœnam interficiant sempiternam; qvod est summum malum. Num igitur dubium est, qvin illi omnes, qvid esset bonum, & malum, ignoraverint, qvi nec Deum, nec adversarium Deum scierint? Itaqve finem bonorum, ad corpus, & ad hanc brevem vitam retulerunt; qvàm scilicet solvi, & occidere, necesse est: non sunt progressi ulteriùs, sed omnia eorum præcepta, & omnia, qvæ

indu-

inducunt, bona, terræ inhærent, & humi jacent; qvoniam ſimul cum corpore, qvod eſt terra, moriuntur. Pertinent enim non ad vitam homini comparandam, ſed ad qværendas, vel augendas opes, honores, gloriam, potentiam; qvæ ſunt universa mortalia, tam ſcilicet, qvàm ille, qvi, ut ea ſibi contingerent, laboravit. Hinc eſt illud:

Virtus, qværendæ finem rei ſcire, modumq́;.

Præcipiunt enim, qvibus modis, & qvibus artibus, res familiaris qværenda ſit; qvia vident, malè qværi ſolere. Sed hujusmodi virtus non eſt propoſita ſapienti. Nec enim virtus eſt, opes qværere; qvarum neqve inventio, neqve poſſeſſio in noſtra poteſtate eſt. Itaqve & qvæſtu, & obtentu faciliores ſunt malis, qvàm bonis. Non poteſt ergo virtus eſſe in iis rebus qværendis, in qvarum contemptu vis, ac ratio virtutis apparet; nec ad ea ipſa transfugiet, qvæ magno, ac excelſo animo calcare, ac proterere geſtit: neqve fas eſt, animum cœleſtibus intentam bonis, ut hæc fragilia ſibi comparet, ab immortalibus ſuis operibus avocari. Sed potiſſimùm in iis rebus comparandis, virtutis ratio conſiſtit, qvas nobis nec homo ullus, nec mors ipſa poſſit auferre. Cùm hæc ita ſe habeant; illud, qvod ſeqvitur, verum eſt:

Virtus, divitiis pretium perſolvere poſſe.

Qvi verſus idem ferè ſignificat, qvod primi duo: ſed neq; ipſe, neqve qvisqvam Philoſophorum ſcire potuit, pretium ipſum vel qvale, vel qvod ſit? Id enim Poëta, & illi omnes, qvos ſecutus eſt, putaverunt, rectè opibus uti, hoc eſt, frugi eſſe; non inſtruere convivia ſumptuosè; nec largiri temerè; non effundere, in res ſupervacuas, aut turpes rem familiarem. Dicet aliqvis fortaſſe: qvid tu? negasne hanc eſſe virtutem? non eqvidem nego, contraria

ria enim videar probare, ſi negem. Sed veram nego; qvia non ſit illa cœleſtis, ſed tota terrena; quandoquidem nihil efficit, niſi qvod remaneat in terra. Qvid ſit autem rectè opibus uti, & qvi ſit ex divitiis fructus petendus? declarabo apertiùs, cùm de pietatis officio loqvi cœpero. Jam cætera, qvæ ſeqvuntur, nullo modo vera ſunt. Nam improbis inimicitias indicere, aut bonorum defenſionem ſuſcipere, poteſt cum malis eſſe commune. Qvidam enim probitate fictâ, viam ſibi ad potentiam muniunt, faciuntqve multa, quæ boni ſolent; eò qvidem promptiùs, qvòd fallendi gratiâ faciunt. Utinamqve tam facile eſſet præſtare, qvàm facile eſt ſimulare bonitatem. Sed ii, cùm eſſe cœperint propoſiti, ac voti ſui compotes, & ſummum potentiæ gradum ceperint; tum verò ſimulatione depoſitâ, mores ſuos detegunt; rapiunt omnia, & violant, & vexant; eosqve ipſos bonos, qvorum cauſam ſuſceperant, inſeqvuntur; & gradûs, per qvos aſcenderunt, amputant; neqvis illos contra ipſos poſſit imitari. Veruntamen putemus, hoc officium non niſi boni eſſe, ut bonos defendat. Ad id ſuſcipere, facile eſt; implere, difficile: qvia cùm te certamini, congreſſioniqve commiſeris; in arbitrio Dei, non tuo, poſita victoria eſt. Et plerumqve improbi & numero & conſpiratione ſunt potentiores, qvàm boni; ut ad eos ſuperandos, non tam virtus ſit, qvam felicitas, neceſſaria. An aliqvis ignorat, qvòd aliqvoties melior, juſtiorq; pars victa ſit? Hinc ſemper dominationes acerbæ in cives extiterunt. Plena eſt exemplis omnis hiſtoria; ſed nos contenti erimus uno. Cn. Pompejus bonorum voluit eſſe defenſor; ſiqvidem pro republica, pro Senatu, pro libertate arma ſuſcepit. Is tamen victus, cum ipſa libertate occidit; & à ſpadonibus Ægyptiis detruncatus, inſepultus abjectus

jectus eſt. Non eſt igitur virtus, aut hoſtem malorum, eſſe, aut defenſorem bonorum; qvia virtus incertis caſibus non poteſt eſſe ſubjecta.

Commoda prætereà patriæ ſibi prima putare.

Sublatâ hominum concordiâ, virtus nihil eſt omninò. Qvæ ſunt enim patriæ commoda, niſi alterius civitatis, aut gentis incommoda? Id eſt fines propagare, aliis violenter ejectis; augere imperium; vectigalia facere majora. Qvæ omnia non utiqve virtutes, ſed virtutum ſunt everſiones. In primis enim tollitur humanæ ſocietatis conjunctio, tollitur innocentia; tollitur alieni abſtinentia; tollitur deniqve ipſa juſtitia, qvæ diſſidium generis humani ferre non poteſt; & ubicunqve arma fulſerint, hinc eam fugari, & exterminari neceſſe eſt. Verum eſt enim Ciceronis illud: Qvi autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant; dirimunt hi communem generis humani ſocietatem: quâ ſublatâ, beneficentia, liberalitas, bonitas, juſtitia tollitur. Nam qvomodò poteſt juſtus eſſe, qvi ſpoliat, qvi occidit? Qvæ omnia faciunt, qvi patriæ prodeſſe nituntur. Id enim ipſum prodeſſe, qvid ſit, ignorant, qvi nihil putant utile, nihil commodum, niſi qvod teneri manu poteſt; qvod ſolum teneri non poteſt, qvia eripi poteſt. Hæc itaqve (ut ipſi appellant) bona, qvisqvis patriæ acqviſierit, hoc eſt, qvi everſis civitatibus, gentibusqve deletis, ærarium pecuniâ referſerit, agros ceperit, cives ſuos locupletiores fecerit; hic laudibus fertur in cœlum; in hoc putatur ſumma, & perfecta eſſe virtus. Qvi error non modò populi, & imperitorum, ſed etiam Philoſophorum eſt; qvi præcepta qvoqve dant ad injuſtitiam; ne ſtultitiæ, ac malitiæ diſciplina & auctoritas deſit. Itaqve cum de officiis ad rem militarem pertinentibus diſputant;

ſputant; neqve ad juſtitiam, neqve ad veram virtutem accommodatur illa omnis oratio, ſed ad hanc vitam, moremqve civilem; qvem non eſſe juſtitiam, & res indicat, & ipſe Cicero teſtatus eſt: Sed nos, inqvit, veri juris, germanæqve juſtitiæ ſolidam, & expreſſam effigiem nullam tenemus. Umbrâ, & imaginibus utimur: easqve ipſas utinam ſeqveremur, feruntur anim ab optimis naturæ, ac veritatis exemplis. Umbra eſt igitur, & imago juſtitiæ, qvam illi juſtitiam putaverunt. Qvid ſapientiam? nonne idem confitetur, in Philoſophis eſſe nullam? Aut cum Fabritius, inqvit, fortis, aut Ariſtides juſtus nominatur, aut ab illo fortitudinis, aut ab hoc juſtitiæ petitur, tanqvam à ſapiente, exemplum. Nemo enim horum ſic ſapiens, ut ſapientem volumus intelligi. Nec ii, qvi ſapientes habiti, & nominati, M. Cato, & C. Lælius ſapientes fuerunt: ne illi qvidem ſeptem; ſed ex mediorum officiorum freqventia ſimilitudinem qvandam gerebant, ſpeciemqve ſapientium. Si & Philoſophis, ipſorum confeſſione, adempta ſapientia eſt; & iis, qvi juſti habiti ſunt, adempta juſtitia eſt: omnes igitur illæ virtutis deſcriptiones falſæ ſint, neceſſe eſt; qvia, qvæ ſit virtus vera, ſcire non poteſt, niſi juſtus, ac ſapiens; qvod nemo eſt, niſi qvem DEus præceptis cœleſtibus erudivit.

CAP. VII.

Jam illi omnes, qvi per aliorum confeſſam ſtultitiam ſapientes exiſtimantur, ſpecie virtutis inducti, umbras, & imagines apprehendunt; nihil verum, qvod eâ fit ratione; qvoniam via illa mendax, qvæ fert ad occaſum, multos tramites habet, propter ſtudiorum, & diſciplinarum varietatem; qvæ ſunt in vita hominis diſſimiles, atqve diverſæ. Nam ſicut via illa ſapientiæ habet aliqvid ſimile

ſtultitiæ; qvod libro præcedente monſtravimus; ita hæc, cùm ſit tota ſtultitiæ, habet aliqvid ſimile ſapientiæ; qvod arripiunt ii, qvi ſtultitiam pnblicam intelligunt: &, ut habet vitia manifeſta; ſic habet aliqvid, qvod ſimile eſſe videatur virtuti: ut habet apertum ſcelus; ſic imaginem qvandam, ſpeciemqve juſtitiæ. Qvomodò enim præcurſor ejus viæ, cujus vis, & poteſtas omnis in fallendo eſt, univerſos in fraudem poſſet inducere, niſi veriſimilia hominibus oſtentaret? Deus enim, ut immortale illud arcanum ejus in operto eſſet, poſuit in via ſua, qvæ homines pro malis, & turpibus aſpernarentur, ut averſi à ſapientia, & veritate, qvam ſine ullo duce reqvirebant, in id ipſum inciderent, qvod vitare, ac fugere cupiebant. Itaqve illam perditionis, ac mortis viam multiplicem oſtendit; vel qvòd multa ſunt genera vitæ, vel qvod Dii multi, qvi coluntur. Hujus dux prævaricator, ac ſubdolus; ut videatur eſſe diſcrimen aliqvod falſi, & veri, mali ac boni. Alia ducit luxurioſos, alia doctos, alia inertes, alia ſtrenuos; alia ſtultos, alia Philoſophos; & eos qvidem non uno tramite. Illos enim, qvi aut voluptates, aut divitias non refugiunt, ab hac publica, & celebri via modicè ſegregat: eos autem, qvi aut virtutem ſeqvi volunt, aut contemptum rerum profitentur, per confragoſa qvædam præcipitia trahit. Sed tamen illa omnia itinera, qvæ ſpeciem bonorum oſtentant, non ſunt aliæ viæ, ſed diverticula, & ſemitæ; qvæ videntur qvidem ab illa communi dextroverſum ſeparari; ad eandem tamen, & ad unum omnes exitum ſub ipſo fine referuntur. Ibi enim dux ille conjungit omnes; ubi opus fuerat, bonos à malis, fortes ad inertibus, ſapientes à ſtultis ſeparari; in Deorum ſcilicet cultu; in qvo ille univerſos, qvia ſine ullo diſcrimine ſtulti fuerunt, uno mu-

crone

crone jugulat, & præcipitat in mortem. Hæc autem via, qvæ eſt veritatis, & ſapientiæ, & virtutis, & juſtitiæ; qvorum omnium fons unus eſt, una vis, una ſedes, ſuavis, & ſimplex eſt; quod paribus animis, ſummâqve concordiâ unum ſeqvamur, & colamus Deum; & anguſta, qvoniam paucioribus virtus data eſt; & ardua, qvoniam ad bonum, qvod ſummum, atqve ſublime eſt, niſi cum ſumma difficultate, ac labore non poteſt perveniri.

CAP. VIII.

Hæc eſt via, qvam Philoſophi qværunt; ſed ideo non inveniunt, qvia in terra potiùs, ubi apparere non poteſt, qværunt. Errant ergo velut in mari magno; nec, qvò ferantur, intelligunt, qvi nec viam cernunt, nec ducem ſeqvuntur. Eâdem namqve ratione hanc vitæ viam qværi oportet, qva in alto iter navibus qværitur; qvæ, niſi aliqvod cœli lumen obſervent, incertis curſibus vagantur. Qvisqvis autem rectum iter viæ tenere nititur, non terram debet aſpicere, ſed cœlum; & (ut apertiùs loqvar) non hominem ſeqvi debet, ſed Deum; non his terreſtribus ſimulachris, ſed Deo ſervire cœleſti; non ad corpus referre omnia, ſed ad mentem; non huic vitæ dare operam, ſed æternæ. Itaque ſi oculos in cœlum ſemper intendas, & ſolem, qvà oritur, obſerves, eumqve habeas vitæ, qvaſi navigii ducem; ſuâ ſponte in viam pedes dirigentur; & illud cœleſte lumen, qvod ſanis mentibus multò clariùs ſole eſt, qvam hic, qvem carne mortali videmus; ſic gubernabit, ut ad ſummam ſapientiæ, virtutisqve portum, ſine ullo errore, perducat. Suſcipienda igitur Dei lex eſt, qvæ nos ad hoc iter dirigat, illa ſancta, illa cœleſtis, qvam Marcus Tullius in libro de Republ. tertio, penè divinâ voce depinxit; cujus ego, ne plura dicerem, verba ſubjeci. Eſt

qvidem vera lex, recta ratio, naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna; qvæ vocet ad officium, jubendo, vetando, à fraude deterreat: qvæ tamen neqve probos fruſtra jubet, aut vetat; nec improbos jubendo, aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas eſt; neqve derogari ex hac aliqvid licet; neqve tota abrogari poteſt. Nec vero aut per Senatum, aut per populum ſolvi hâc lege poſſumus. Neqve eſt qværendus explanator, aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis; alia nunc, alia poſthac; ſed & omnes gentes, & omni tempore una lex, & ſempiterna, & immutabilis continebit; unusqve erit communis qvaſi magiſter, & imperator omnium Deus; ille legis hujus inventor, diſceptator, lator; cui qvi non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernabitur; hoc ipſo luet maximas pœnas, etiamſi cætera ſupplicia, qvæ putantnr, effugerit. Qvis ſacramentum Dei ſciens tam ſignificanter enarrare legem Dei poſſit, qvàm illam homo longè à veritatis notitia remotus expreſſit? Ego verò eos, qvi vera imprudenter loqvuntur, ſic habendos puto, tanqvàm divinent ſpiritu aliqvo inſtincti. Qvod ſi, ut legi ſanctæ vim rationemqve pervidit; ita illud qvoqve ſciſſet, aut explicaſſet, in qvibus præceptis lex ipſa conſiſteret: non Philoſophi functus eſſet officio, ſed Prophetæ. Qvod qvia facere ille non poterat; nobis faciendum eſt; quibus ipſa lex tradita eſt ab illo uno magiſtro, & imperatore omnium Deo.

CAP. IX.

Hujus legis caput primum eſt, ipſum Deum noſſe; ſoli obtemperare; ſolum colere. Non poteſt enim rationem hominis obtinere, qui parentem animæ ſuæ Deum neſcit; quod eſt ſummum nefas. Qvæ ignoratio facit; ut

ut Diis alienis serviat, qvo nihil sceleratius committi potest. Hinc jam proclivis est ad malitiam gradus, per ignorantiam veri, ac singularis boni; quia Deus, quem nosse refugit, fons est ipse bonitatis. Vel si justitiam sequi volet Dei; divini tamen juris ignarus, gentis suæ leges, tanquam verum jus amplectitur; qvas non utiqve justitia, sed utilitas reperit. Cur enim per omnes populos diversa, & varia jura sunt condita? nisi quòd unaqvæqve gens id sibi sanxit, qvod putavit rebus suis utile. Qvantum autem à justitia recedat utilitas, populus ipse Romanus docet; qui per feciales bella indicendo, & legitimè injurias inferendo semperqve aliena cupiendo, atque rapiendo, possessionem sibi totius orbis comparavit. Verùm hi justos putant, si contra leges suas nihil faciant; quod etiam timori ascribi potest, si præsentium pœnarum metu, sceleribus abstineant. Sed concedamus sanè, ut id naturâ, vel (ut ait Philosophus) suâ sponte faciant, qvod legibus facere coguntur. Num iccircò justi erunt, quia parent institutis hominum; qui & ipsi aut errare, aut injusti esse potuerunt? Sicut illi duodecim tabularum conditores, qvi certè publicæ utilitati, pro conditione temporum, servierunt. Aliud est igitur civile jus; quod pro moribus ubique variatur; aliud est vera justitia; quam uniformem ac simplicem proposuit omnibus Deus: quem qui ignorat, & ipsam justitiam ignoret, necesse est. Sed putemus fieri posse, ut aliquis naturali, & ingenito bono, veras virtutes capiat: qvalem fuisse Cimonem Athenis accepimus; qui & egentibus stipem dedit; & pauperes invitavit; & nudos induit. Tamen cum illud unum, qvod est maximum, deest, agnitio Dei; jam illa bona omnia supervacua sunt, & inania, ut frustrà in his assequendis laboraverit.

verit. Omnis enim justitia ejus, similis est humano corpori, caput non habenti: in quo, tametsi membra omnia & locis suis constent, & figura, & habitudine; tamen, qvoniam deest id, quod est omnium principale, & vitâ, & omni sensu caret. Itaqve membra illa formam tantummodò membrorum habent, usum non habent; tam scilicet, quàm caput, sine corpore. Cui similis est, qvi, cum Deum non ignoret, vivit injustè. Id enim solum habet, quod est summum; sed frustra; quoniam virtutibus, tanquàm membris eget. Itaque, ut sit vivum, ac sensibile corpus, & agnitio Dei necessaria est, qvasi caput; & omnes virtutes, quasi corpus. Ita fiet homo perfectus, ac vivus: sed tamen summa omnis in capite est; quod, quamvis constare non potest, sine omnibus, sine quibusdam tamen potest. Et erit quidem animal vitiosum, ac debile; sed tamen vivit; sicut & is, qvi & Deum novit, & in aliqua re peccat. Dat enim veniam peccatis Deus. Itaque sine membris aliquibus vivi potest, sine capite nullo modo. Hæc res efficit, ut Philosophi, etiam si natura sint boni, tamen nihil sciant, nihil sapiant. Omnis doctrina, & virtus eorum sine capite est; quia Deum nesciunt; qui est virtutis, ac doctrinæ caput: quem, qui non agnoscit; licet videat, cæcus est; licet audiat, surdus; licet loquatur, elinguis est. Cùm verò conditorem rerum parentemque cognoverit; tunc & videbit, & audiet, & loquetur. Habere enim caput cœpit, in quo sunt sensus omnes collocati; hoc est oculi, aures, & lingua. nam profectò is videt, qui veritatem, in qua Deus est, vel Deum, in quo veritas est, oculis cordis aspexerit: is audit, qui divinas voces, ac præcepta vitalia pectori suo affigit: is loquitur, qui cœlestia differens, virtutem, ac majestatem Dei singularis enarrat.

rat. Qvare non eſt dubium, qvin impius ſit, qvisqvis Deum non agnoverit, omnesqve virtutes ejus, qvas habere, aut tenere ſe putat, in illa mortifera via reperiuntur, qvæ eſt tota tenebrarum. Qvapropter nihil eſt, qvòd aliqvis ſibi gratuletur, ſi has inanes virtutes adeptus eſt: qvia non tantùm miſer, qvi bonis præſentibus careat; ſed etiam ſtultus ſit, neceſſe eſt, qvi labores in vita ſua maximos ſuſcipiat in caſſum. Nam demptâ ſpe immortalitatis, qvam Deus pollicetur in ſua religione verſantibus; cujus aſſeqvendæ gratiâ virtus appetenda eſt, &, qvicqvid malorum acciderit, perferendum; maxima erit profectò vanitas, obſeqvi velle virtutibus, qvæ fruſtra homini calamitates afferunt, & labores. Nam ſi virtus eſt, egeſtatem, exilium, dolorem, mortemqve, qvæ timentur à cæteris, pati fortiter, ac ſubire; qvid tandem in ſe boni habet, cur eam propter ſeipſam Philoſophi dicant expetendam? Nimirum ſupervacuis, & inanibus pœnis delectantur, qvibus licet agere tranqvillè. Si enim mortales ſunt animæ, ſi virtus, diſſoluto corpore, nihil futura eſt; qvid fugimus attributa nobis bona, qvaſi aut ingrati, aut indigni, qvi divinis muneribus perfruamur? Qvæ bona ut habeamus, ſceleratè, impieqve vivendum eſt; qvia virtutem, id eſt juſtitiam, paupertas ſeqvitur. Sanus igitur non eſt, qvi nullâ ſpe majore propoſitâ, iis bonis, qvibus cæteri utuntur in vita, labores, & cruciatus, & miſerias anteponat. Si autem virtus (ut ab his rectiſſimè dicitur) capeſſenda eſt, qvia conſtat, ad eam naſci hominem; ſubeſſe debet ſpes aliqva major, qvæ malorum, & laborum, qvos perferre virtutis eſt, magnum afferat, præclarumqve ſolatium. Nec aliter virtus, cùm per ſe dura ſit, haberi pro bono poteſt; qvàm ſi acerbitatem ſuam maximo bono penſet. Æqve

non aliter his bonis præſentibus abſtinendum eſt, qvàm ſi ſint aliqva majora, propter qvæ tanti ſit & voluptates omittere, & mala omnia ſuſtinere. Ea vera nulla ſunt alia (ut in tertio docui) niſi perpetuæ vitæ. Hanc autem præſtare qvis poteſt, niſi Deus, qvi virtutem ipſam propoſuit? Ergo in Dei agnitione, & cultu, rerum ſumma verſatur. in hoc eſt ſpes omnis, ac ſalus hominis: hic eſt ſapientiæ gradus primus, ut ſciamus, qvis ſit nobis verus pater, eumqve ſolum pietate debitâ proſeqvamur; huic pareamus; huic devotiſſimè ſerviamus; in eo promerendo actus omnis, & cura, & opera collocetur.

CAP. X.

Dixi, qvid debeatur Deo: dicam nunc, qvid homini tribuendum ſit: qvanqvam id ipſum, qvod homini tribueris, Deo tribuitur; qvia homo Dei ſimulachrum eſt. Sed tamen primum officium juſtitiæ eſt; conjungi cum Deo; ſecundum, cum homine. Sed illud primum, religio dicitur, hoc ſecundum, miſericordia, vel humanitas nominatur. Qvæ virtus propria eſt juſtorum, & cultorum Dei; qvòd ea ſola vitæ communis in ſe continet rationem. Deus enim, qvi cæteris animalibus ſapientiam non dedit, naturalibus ea munimentis ab incurſu, & periculo duriora generavit. Hominem verò, qvia nudum, fragilemqve formavit, ut eum ſapientiâ potius inſtrueret, dedit ei, præter cætera, hunc pietatis affectum, ut homo hominem tueatur, diligat, foveat, contraqve omnia pericula & accipiat, & præſtet auxilium. Summum igitur inter ſe hominum vinculum eſt humanitas: qvod qvi diſruperit, nefarius, & parricida exiſtimandus eſt. Nam ſi ab uno homine, qvem Deus finxit, omnes orimur; certè conſangvinei ſumus; & ideò maximum ſcelus putandum eſt, odiſſe homi-

hominem, vel nocentem. Propterea Deus præcepit, inimicitias per nos nunqvàm faciendas, ſemper eſſe tollendas; ſcilicet ut eos, qvi ſint nobis inimici, neceſſitudinis admonitos mitigemus. Item ſi ab uno Deo inſpirati omnes, & animati ſumus, qvid aliud, qvàm fratres ſumus? Et qvidem conjunctiores, qvi animis, qvàm qvi corporibus. Itaqve non errat Lucretius, cum dicit:

Deniqve, cœleſti ſumus omnes ſemine oriundi:
Omnibus ille idem pater eſt.

Ergo pro belluis immanibus ſunt habendi, qvi hominibus nocent, qui contra jus humanitatis, & fas omne ſpoliant, cruciant, occidunt, exterminant. Ob hanc neceſſitudinem germanitatis docet nos Deus, malum nunqvàm facere, ſemper bonum. Id autem ipſum benè facere, qvid ſit, idem ipſe præſcribit: præſtare auxilium depreſſis, & laborantibus; impertiri victum non habentibus. Deus enim, qvoniam pius eſt, animal nos voluit eſſe ſociale: itaque in aliis hominibus, nos ipſos cogitare debemus. Non meremur, in periculo liberari, ſi non ſuccurrimus: non meremur auxilium, ſi negamus. Ad hanc partem, Philoſophorum nulla præcepta ſunt; quippe qui falſæ virtutis ſpecie capti, miſericordiam de homine ſuſtulerunt; &, dum volunt ſanare vitia, auxerunt. Et cum iidem plerunque fateantur, ſocietatis humanæ communionem eſſe retinendam; ab ea planè ſeipſos inhumanæ ſuæ virtutis rigore diſſociant. Convincendus ergo etiam hic error illorum eſt, qui nihil cuiqvam impertiendum putant. Urbis condendæ originem, atque cauſam non unam intulerunt; ſed alii eos homines, qvi ſint ex terra primitus nati, cùm per ſylvas, & campos erraticam degerent vitam, nec ullo inter ſe ſermonis, aut juris vinculo cohærerent;

ſed frondes, & herbam pro cubilibus; ſpeluncas, & antra pro domibus haberent; beſtiis, & fortioribus animalibus prædæ fuiſſe commemorant. Tùm eos, qui aut laniati effugerant, aut laniari proximos viderant, admonitos periculi ſui, & alios homines decurriſſe; præſidium imploraſſe; & primò nutibus voluntatem ſuam ſignificaſſe; deinde ſermonis initia tentaſſe; ac ſingulis qvibusqve rebus nomina imponendo, paulatim loquendi perfeciſſe rationem. Cum autem multitudinem ipſam viderent contra beſtias eſſe tutam; oppida etiam cœpiſſe munire; vel ut quietem noctis tutam ſibi facerent; vel ut incurſiones, atque impetus beſtiarum non pugnando, ſed objectis aggeribus arcerent. O ingenia hominibus indigna, qvæ has ineptias protulerunt! miſeros, atqve miſerabiles, qvi ſtultitiam ſuam literis memoriæqve mandaverunt! Qvi cùm viderent, mutis qvoqve animalibus ingenitam eſſe rationem vel conveniendi, vel invicem appetendi, vel periculi fugiendi, vel mali cavendi, vel cubicula ſibi, & latibula parandi; homines autem ipſos exiſtimaverint, non niſi exemplis admoneri, ac diſcere potuiſſe: qvid metuere ſibi, qvid cavere, qvid facere deberent; aut nunqvàm conventuros inter ſe fuiſſe, nec loquendi rationem reperturos, niſi eos beſtiæ comediſſent. Hæc aliis delira viſa ſunt, (ut fuerunt) dixeruntqve, non ferarum laniatus cauſam fuiſſe coëundi, ſed ipſam potius humanitatem: itaqve inter ſe congregatos, quòd natura hominum ſolitudinis fugiens, & communionis, ac ſocietatis appetens eſſet. Non magna inter eos diſceptatio eſt. Siquidem cauſæ diſpares ſunt, res eadem eſt. Potuit igitur utrunque, qvia non repugnat; ſed tamen utrunqve nullo modo verum eſt; quia non per omnem terram nati ſunt homines è terra,

tanquàm

tanquàm ex draconis alicujus dentibus præſeminati, (ut Poëtæ ferunt) ſed unus homo à Deo factus eſt; ab eoq; uno omnis terra humano genere completa eſt; eàdem ſcilicet ratione, qvâ rurſus poſt diluvium: qvod certè negare non poſſunt. Nulla igitur in principio facta eſt ejusmodi congregatio; nec unqvàm fuiſſe homines in terra; qvi propter infantiam non loqverentur, intelliget, cui ratio non deeſt. Fingamus tamen illa vera eſſe, qvæ otioſi, & inepti ſenes fabulantur; ut eos ſuis potiſſimùm ſenſibus, & ſuis rationibus refellamus. Si hac de cauſa ſunt homines congregati, ut mutuis auxiliis imbecillitatem ſuam tuerentur; ſuccurrendum eſt igitur homini, qui egeat auxilio. Cùm enim præſidii causâ homines ſocietatem cum hominibus inierint, & ſanxerint: fœdus illud inter homines à principio ortûs ſui initum, aut violare, aut non conſervare, ſummum nefas putandum eſt. Nam quiſe à præſtando auxilio removet; etiam ab accipiendo ſe removeat, neceſſe eſt; quia nullius ope indigere ſe putat, qui alteri ſuam denegat. Huic verò, qvi ſe ipſe diſſociat, ac ſecernit à corpore, non ritu hominis, ſed ferarum more vivendum eſt. Qvod fieri ſi non poteſt, retinendum eſt igitur omni modo vinculum ſocietatis humanæ; qvia homo ſine homine nullo modo poteſt vivere. Retentio autem ſocietatis eſt communitas, id eſt auxilium præſtare, ut poſſimus accipere. Sin verò (ut illi alii diſputant) humanitatis ipſius causâ facta eſt hominum congregatio, homo certè hominem debet agnoſcere. Quod ſi fecerunt illi rudes, & adhuc feri homines, & fecerunt nondum conſtitutâ loquendi ratione: quid putemus hominibus expolitis ſermone, rerumq; omnium commercio inter ſe copulatis, eſſe faciendum; qui aſſueti hominibus, ſolitudinem ferre non poſſunt?

CAP. XI.

Conſervanda eſt igitur humanitas, ſi homines rectè dici velimus. Id autem ipſum conſervare humanitatem, quid aliud eſt, quàm diligere hominem; quia homo ſit, & idem, quod nos ſumus? Diſcordia igitur, atque diſſenſio non eſt ſecundum hominis rationem. Verumque eſt illud Ciceronis, quod ait, hominem naturæ obedientem, homini nocere non poſſe. Ergo ſi nocere homini, contra naturam eſt; prodeſſe igitur homini ſecundum naturam ſit, neceſſe eſt. Quod qui non facit, hominis ſe appellatione diſpoliat; quia humanitatis officium eſt, neceſſitati hominis, ac periculo ſubvenire. Quæro igitur ab iis, qui flecti, ac miſereri non putant eſſe ſapientis; ſi homo ab aliqua beſtia comprehenſus, auxilium ſibi armati hominis imploret; utrumne ſuccurendum putent, an minimè? Non ſunt tàm impudentes, ut negent fieri oportere, quod flagitat, quod expoſcit humanitas. Item, ſi aliquis circumveniatur igni, ruinâ opprimatur, mergatur mari, flumine rapiatur, num putent hominis eſſe, non auxiliari? non ſunt ipſi homines, ſi putent. Nemo enim poteſt ejusmodi periculis non eſſe ſubjectus. Imò verò & hominis, & fortis viri eſſe dicent, ſervare periturum. Si ergo in ejusmodi caſibus, qvi periculum vitæ homini afferunt, ſuccurrere, humanitatis eſſe concedunt: quid cauſæ eſt, cur, ſi homo eſuriat, ſitiat, algeat, ſuccurrendum eſſe, non putent? Qvæ cùm ſint paria naturâ cum illis caſibus fortuitis, & unam eandemque humanitatem deſiderent; tamen illa diſcernunt; quia non reipſa vera, ſed utilitate præſenti omnia metiuntur. Illos enim, qvos periculo ſurripiunt, ſperant ſibi gratiam relaturos. Egentes autem, quia non ſperant; perire arbitrantur, quicquid ejus-

modi

modi hominibus impertiant. Hinc eſt illa Plauti deteſtanda ſententia;

Malè meretur, qvi mendico dat, qvod edat.
Nam & illud, qvod dat, perit:
Et illi producit vitam ad miſeriam.

Atenim Poëta fortaſſe pro perſona locutus eſt. Quid Marcus Tullius in ſuis officialibus libris, nonne hoc idem ſuadet; non eſſe omninò largiendum? Sic enim dixit: Largitio, quæ fit ex re familiari, fontem ipſum benignitatis exhaurit; ita bonitate benignitas tollitur; quâ quò in plures uſus ſis, eò minus in multos uti poſſis. Et idem paulò pòſt: Quid autem eſt ſtultius, quàm, quod libenter facias, curare, ut id diutiùs facere non poſſis? Videlicet Profeſſor ſapientiæ refrenat homines ab humanitate: monetque, ut rem familiarem diligenter cuſtodiant; malintque arcam, quàm juſtitiam conſervare. Quod cùm intelligeret inhumanum eſſe, ac nefarium; mox ex alio capite, quaſi actus pœnitentiâ, ſic ait: Nonnunquàm tamen eſt largiendum; nec hoc benignitatis genus omninò repudiandum; & ſæpè idoneis hominibus egentibus de re familiari impertiendum. Quid eſt idoneis? nempe iis, qvi reſtituere, ac referre gratiam poſſint. Si nunc Cicero viveret, exclamarem profectò: Hîc, hîc, M. Tulli, aberrâſti à vera juſtitia; eamque uno verbo ſuſtuliſti; cum pietatis, & humanitatis officia utilitate metitus es. Non enim idoneis hominibus largiendum eſt, ſed, quantum poteſt, non idoneis. Id enim juſtè, id piè, id humanè fit, quod ſine ſpe recipiendi feceris. Hæc eſt vera illa, & germana juſtitia, cujus ſolidam, & expreſſam effigiem nullam tenere vos dicitis. Ipſe pluribus locis clamas, mercenariam non eſſe virtutem; faterisqve in libris Legum tuarum, libera-

beralitatem gratuitam esse, his verbis: Nec est dubium, quin is, qui liberalis, benignusqve dicitur, officium, non fructum sequatur. Cur ergò idoneis potiùs largiris, nisi ut posteà mercedem recipias? Te igitur auctore, ac praeceptore justitiae, quisquis idoneus non erit; nuditate, siti, fame conficietur; nec homines copiosi, & usque ad delicias abundantes, subvenient ultimae necessitati. Si virtus justitiam non exigit; si propter se (ut dicitis) expetenda est: ergò justitia matrem principemque virtutem suo pretio, non tuo commodo aestima; eique potissimùm tribue, à quo nihil speres. Qvid personas eligis? qvid membra inspicis? Pro homine tibi habendus est, qvisqvis ideò precatur, qvia te hominem putet. Abjice umbras illas, imaginesqve justitiae, atqve ipsam veram, & expressam tene! largire coecis, debilibus, claudis, destitutis; quibus, nisi largiare, moriendum est. Inutiles sunt hominibus, sed utiles Deo; qvi eos vitâ; qvi spiritu donat; qui luce dignatur. Fove, qvantum in te est, & animas hominum, ne extingvantur, humanitate sustenta! Qvi succurrere perituro potest, si non succurrerit, occìdit. Verùm isti, qvia neqve naturam retinent; neque praemium in eo quod sit, sciunt; dum perdere timent, perdunt; & in id, quod maximè cavent, incidunt; ut, quicquid largiuntur, aut pereat omninò, aut ad tempus brevissimum prosit. Nam qui exiguam stipem miseris negant; qui conservare humanitatem sine damno suo volunt; patrimonia sua effundunt; ut aut peritura, & fragilia sibi comparent; aut certè maximis suis damnis nihil conseqvantur. Qvid enim dicendum est de iis, qui populari levitate ducti, vel magnis urbibus suffecturas opes exhibendis muneribus impendunt? nisi eos dementes, ac furiosos; qui praestent id

populo,

populo, qvod & ipſi perdant; & nemo eorum, qvibus præſtatur, accipiat. Itaqve ut eſt omnis voluptas caduca & brevis, oculorum maximè, & aurium; aut obliviſcuntur homines, & alterius damna pro ingratis habent; aut etiam offenduntur, ſi non eſt libidini vulgi ſatisfactum: ut etiam homines ſtultiſſimi malum ſibi malo comparaverint; ut, ſi adeò placuerint, nihil amplius, qvam inanem favorem, paucorumqve dierum fabulas aſſeqvantur. Sic qvotidiè leviſſimorum hominum patrimonia in res ſupervacuas prodiguntur. Num ergo illi ſapientiùs, qvi utiliora, & diuturniora civibus ſuis exhibent munera? ii ſcilicet, qvi publicis operibus extructis, memoriam nomini ſuo qværunt? ne iſti qvidem rectè bona ſua in terram ſepeliunt: quia nec memoria qvicqvam mortuis confert; nec opera eorum ſempiterna ſunt: ſiquidem aut uno tremore terræ diſſipantur, & corruunt; aut fortuito conſumuntur incendio; aut hoſtili aliqvo impetu diruuntur; aut certè vetuſtate ipsâ diſſoluta labuntur. Nihil eſt enim (ut ait Orator) opere, & manu factum, qvod non conficiat & conſumat vetuſtas. Ad hæc juſtitia, & lenitas floreſcit qvotidiè magis. Illi ergo meliùs, qvi tribulibus ſuis, aut clientibus largiuntur: aliqvid enim præſtant hominibus, & proſunt. Sed non eſt illa vera, & juſta largitio. Beneficentia enim nulla eſt, ubicunque neceſſitas non eſt. Perit ergo, qvicqvid gratiæ causâ tribuitur non indigentibus, aut cum fœnore redit, & beneficentia non erit. Qvod etſi gratum eſt iis, qvibus datur; juſtum tamen non eſt; qvia, ſi non fiat, nihil mali ſeqvitur. Unum igitur certum, & verum liberalitatis officium eſt, egentes, atq; inutiles alere.

CAP. XII.

Hæc eſt illa perfecta juſtitia, qvæ cuſtodit humanam,

de qva Philoſophi loqvuntur, ſocietatem. Hic divitiarum maximus, ac veriſſimus fructus eſt, non uti opibus ad propriam unius voluptatem, ſed ad multorum ſalutem; non ad præſentem ſuum fructum, ſed ad juſtitiam, qvæ ſola non interit. Tenendum eſt igitur omni modo, ut ab officio miſericordiæ ſpes recipiendi abſit omninò. Hujus enim operis, & officii merces à Deo eſt expetenda ſolo: nam ſi ab homine exſpectes, jam non humanitas erit illa, ſed beneficii fœneratio; nec poteſt videri benè meruiſſe, qvi, qvod fecit, non alteri, ſed ſibi præſtat; & tamen res eò redit, ut, qvod alteri qvisqve præſtiterit, nihil ab eo commodi ſperans, verè ſibi præſtet; qvia mercedem capiet à Deo. Idem Deus præcepit, ut, ſi qvando cœnam paraverimus, eos in convictum adhibeamus, qui revocare non posſint, & vicem reddere; ut omnis actus vitæ noſtræ non careat miſericordiæ munere. Nec tamen qvisqvam interdictum ſibi putet, aut communione cum amicis, aut caritate cum proximis. Sed notum nobis Deus fecit, qvod ſit verum, & juſtum opus, ita nos oportere cum proximis vivere, dummodò ſciamus, illud ad hominem, hoc ad Deum pertinere. Præcipua igitur virtus eſt, hoſpitalitas; qvod Philoſophi quoque ajunt, ſed eam detorqvent à vera juſtitia, & ad commodum rapiunt. Rectè, inqvit Cicero, à Theophraſto eſt laudata hoſpitalitas. Eſt enim (ut mihi qvidem videtur) valdè decorum, patere domos hominum illuſtrium hoſpitibus illuſtribus. Eodem modo rurſus erravit, qvo tùm, cùm idoneis eſſe diceret largiendum. Non enim juſti, & ſapientis viri domus illuſtribus debet patere, ſed humilibus, & abjectis. Nam illuſtres illi, ac potentes nullâ re poſſunt indigere; quos opulentia ſua & munit, & honorat. Nihil autem à viro

viro justo faciendum est, nisi qvod sit beneficum. Beneficium autem, si refertur, interit, atqve finitur. nec enim possumus id habere integrum, cujus pretium nobis persolutum est. In his itaqve beneficiis justitiæ ratio versatur, qvæ salva, & incorrupta permanserint; permanent autem non aliter, qvàm si præstentur hominibus iis, qvi prodesse nullo modo possunt. At ille in recipiendis illustribus nihil spectavit aliud, nisi utilitatem; nec dissimulavit homo ingeniosus, qvid ex eo commodi speraret. Ait enim, qvid faciat potentem apud exteros futurum, per gratiam Principum, qvos sibi hospitii, & amicitiæ jure constrinxerit. O qvàm multis argumentis Ciceronis inconstantia, si id agerem, redargui posset; nec tam nostris, qvàm suis verbis refelleretur. Idem qvippe ait, ut qvisqve maximè ad suum commodum referat, qvæcunqve agit, ita miminè esse virum bonum. Idem etiam negat simplicis, & aperti hominis esse, ambire, simulare aliqvid, & prætendere, aliud agere videri, cùm aliud agat; præstare se alteri fingere, qvod sibi præstet: sed malitiosi potiùs, & astuti, & fallacis, & subdoli. Qvomodò ergo defenderet, qvò minùs ambitiosa illa hospitalitas, malitia esset? Tu mihi per omnes portas circumcurses, ut advenientes populorum, atqve urbium Principes domum tuam invites: ut per eos apud cives eorum potentiam conseqvare; velisqve te justum, & hospitalem videri, cùm studeas utilitati tuæ. Verùm hoc ille non potiùs incautè. Qvid enim minus in Ciceronem convenit? Sed ignorantià veri juris, prudens, ac sciens in hos se laqveos induxit. Qvod ut ei possit ignosci, testificatus est, non ad veram justitiam; qvam non teneat, præcepta se dare; sed ad umbram, imaginemqve justitiæ. Ignoscendum est igitur umbratico & imagina-

ginario præceptori; nec ab eo veritas exigenda est, qvi se nescire fateatur. Captivorum redemptio magnum atqve præclarum justitiæ munus est: qvod idem ipse Tullius approbavit. Itaqve hæc benignitas, inqvit, etiam reipublicæ est utilis, redimi è servitute captos, locupletari tenuiores. Hanc ego consvetudinem benignitatis, largitioni munerum longe antepono. Hæc est gravium hominum atqve magnorum. Proprium igitur justorum opus est, alere pauperes, ac redimere captivos: cum apud injustos, si qvi hæc faciant, graves, & magni appellentur. Iis enim maximè laudis est, benè facere, qvos nemo speravit esse facturos. Nam qvi bonum facit vel consanguineo, vel proximo, vel amico; aut nullam, aut certè non magnam laudem meretur; qvia facere debet; sitque impius, ac detestabilis, nisi fecerit id, qvòd ab eo & natura ipsa, & necessitudo exigit; & si facit, non tam gloriæ asseqvendæ, qvàm reprehensionis vitandæ gratiâ facit. Qvi autem facit alieno, & ignoto, is verò dignus est laude; qvoniam, ut faceret, solâ ductus est humanitate. Ibi ergò justitia est, ubi ad benefaciendum necessitatis vinculum nullum est. Hoc igitur officium benignitatis ne anteponere qvidem largitioni munerum debuit; qvod est comparantis, & è duobus bonis id, qvod sit melius, eligentis. Illa enim largitio hominum, patrimonia sua in mare abjicientium, inanis & levis, & ab omni justitia remotissima est. Itaqve ne dici qvidem munera oportet, in qvibus nemo accipit, nisi qvi accipere non meretur. Non minùs magnum justitiæ opus est, pupillos, & viduas destitutos, & auxilio indigentes tueri, atqve defendere. qvòd adeò universis divina lex illa præscribit, qvandoqvidem boni qviqve judices ad officium suum judicant pertinere; ut eos

natu-

naturali humanitate foveant; ac iisdem prodesse nitantur. Verùm hæc opera, propriè nostra sunt; qvi verba ipsius Dei præcipientis accepimus. Nam illi sentiunt qvidem natura esse justum, tueri eos, qvi tutelâ carent; sed, cur ita sit, non perspiciunt. Deus enim, cujus perpetua clementia est; iccircò viduas, pupillosqve defendi, ac foveri jubet, ne qvis respectu, ac miseratione pignorum suorum retardetur, qvò minùs mortem pro justitia fideqve suscipiat; sed incunctanter, ac fortiter subeat; cùm sciat, se caros suos Deo relinqvere; nec his unqvàm præsidium defuturum. Ægros qvoqve, qvibus defuerit, qvi assistat, curandos, fovendosqve suscipere, summæ humanitatis, & magnæ operationis est: qvod qvi fecerit, hic vivam hostiam Deo acqviret; & qvod alteri dederit ad tempus, ipse à Deo accipiet in æternum. Ultimum illud, & maximum pietatis officium est, peregrinorum & pauperum sepultura: quod illi virtutis justitiæqve doctores prorsus non attigerunt. Nec enim poterant id videre, qvi utilitate omnia officia metiebantur. In cæteris enim, quæ supradicta sunt, quamvis verum limitem non tenuerint; tamen, qvoniam commodi aliquid in his deprehenderunt, qvasi odore qvodam veritatis retenti, propiùs oberraverunt. Hoc autem, qvia nihil videre in eo commodi poterant, reliqverunt. Quin etiam non defuerunt, qvi supervacaneam facerent sepulturam; nihilque esse dicerent mali, jacere inhumatum, atque abjectum; qvorum impiam sapientiam, cùm omne humanum genus respuit, tùm divinæ voces, quæ id fieri jubent. Verùm illi non audent dicere, id non esse faciendum; sed, si fortè non fiat, nihil esse incommodi. Itaque in ea re non tàm præcipientium, quàm consolantium funguntur officio; ut si fortè id

sapienti evenerit, ne se ob hoc miserum putet. Nos autem non, quid sapienti ferendum sit, dicimus; sed qvid facere ipse debeat. Itaque non quærimus nunc, utrumne tota sepeliendi ratio sit utilis, nec ne? sed hæc, etiamsi sit inanis (ut illi existimant) tamen facienda est, vel ob hoc solùm, quòd apud homines benè, & humanè fieri videtur. Animus enim quæritur, & propositum ponderatur. Non enim patiemur, figuram & figmentum Dei, feris, ac volucribus in prædam jacere; sed reddamus id terræ, unde ortum est, &, quamvis in homine ignoto, necessariorum munus implebimus, in qvorum locum, quia desunt, succedat humanitas; & ubicunque homo desiderabitur, ibi exigi officium nostrum putabimus. In qvo autem magis justitiæ ratio consistit, qvàm in eo, ut, quod præstamus nostris per affectum, præstemus alienis per humanitatem; quæ est multò certior justiorqve? quæ cum sit, jam non homini præstatur, qui nihil sentit, sed Deo soli: cui carissimum sacrificium est, opus justum. Dicet aliquis fortasse: si hæc omnia fecero, nihil habebo. Qvid enim, si magnus hominum numerus egebit, algebit, capietur, morietur: ut hæc facientem, vel uno die patrimonio exui, sit necesse; perdamne rem familiarem, meo, aut majorum labore qvæsitam? ut jam ipsi mihi alienâ misericordiâ vivendum sit? Quid, tu tàm pusillo animo paupertatem times? quàm etiam vestri Philosophi laudant; nihil hâc tutius, nihilque tranquillius esse testantur. Hoc, qvod times, solicitudinum portus est. An ignoras, quot periculis, quot casibus cum his malis opibus subjaceas? Qvæ tecum benè agent, si sine tuo cruore transierint. Tu verò prædâ onustus incedis, & spolia geris, quæ irritent animos, etiam tuorum. Qvid ergò dubitas, benè collocare id, quod

id, quod tibi forsitan eripiet aut unum latrocinium, aut existens repentè proscriptio, aut hostilis aliqua direptio? Qvid verere, fluxum & fragile bonum facere sempiternum; aut thesauros tuos custodi Deo credere? ubi non furem, prædonemque timeas, non rubiginem, non tyrannum? Qvi apud Deum dives est, pauper esse nunquàm potest. Si injustitiam tanti putas; sequere abjectis oneribus, quæ te premunt! libera te ipsum compedibus, & catenis, ut expeditus ad Deum curras. Magni & excelsi animi est, despicere, & calcare mortalia. Sed si hanc virtutem non capis, ut divitias tuas in arcam Dei conferas, ut fragilibus tibi compares firmiora, liberabo te metu. Omnia ista præcepta non tibi soli dantur, sed omni populo, qui mente conjunctus est, & cohæret, sicut homo unus. Si solus magnis operibus non sufficis; pro virili parte operare justitiam, sic tamen, ut, qvantum divitiis inter cæteros, tantum opere præcellas. Neque nunc suaderi tibi putes, ut rem familiarem tuam minuas, vel exhaurias; sed quæ in supervacua fueras impensurus, ad meliora convertas. Unde bestias emis, hinc captos redime; unde feras pascis, hinc pauperes ale; unde homines ad gladium comparas, hinc innocentes mortuos sepeli! Quid prodest, perditæ nequitiæ bestiarios facere locupletes, & instruere ad flagitia? Transfert ad magnum sacrificium malè peritura; ut pro his veris muneribus, habeas à Deo munus æternum. Magna est misericordiæ merces; cui Deus pollicetur, peccata se omnia remissurum. Si audieris, inquit, preces supplicis tui, & ego audiam tuas: si misertus laborantium fueris, & ego in tuo labore miserebor. Si autem non respexeris, nec adjuveris, & ego animum tuum contra te geram, tuisqve te legibus judicabo.

CAP.

CAP. XIII.

Qvoties igitur rogâris, tentari te à Deo crede, an sis dignus exaudiri? Circumspice conscientiam tuam, &, quantum potes, medere vulneribus; nec tamen, quia peccata largitione tolluntur, dari tibi licentiam peccandi putes; abolentur enim, si Deo largiare, qvia peccaveras. nam si fiduciâ largiendi pecces, non abolentur. Deus enim purgari homines à peccatis maximè cupit, ideòque agere pœnitentiam jubet. Agere autem pœnitentiam, nihil aliud est, qvàm profiteri, & affirmare, se ulteriùs non peccaturum. Ignoscitur itaque iis, qui ad peccatum imprudenter incautèque labuntur: veniam non habet, qui sciens peccat. Nec tamen, si aliquis fuerit purificatus ab omni labe peccati, temperandum sibi ab opere largitionis existimet; quia non habeat peccata, quæ deleat. Imò verò tùm magis justitiam debet operari, cum factus est justus; ut, quod antè in medelam vulnerum fecerat, postmodùm faciat in laudem gloriamqve virtutis. Eò accedit, quòd nemo esse sine delicto potest, quamdiu indumento carnis oneratus est. Cujus infirmitas triplici modo subjacet dominio peccati, factis, dictis, cogitationibus. Per hos gradûs ad summum culmen justitia procedit. Primus est virtutis gradus, malis operibus abstinere; secundus, etiam malis verbis; tertius, etiam cogitatione rerum malarum. Qui primum gradum ascendit, satis justus est; qui secundum, jam perfectæ virtutis; siquidem neqve factis, neque sermone delinquat: qui tertium, is verò similitudinem Dei assecutus videtur. Est enim penè supra humanum modum, ne in cogitationem quidem admittere, quod sit vel factu malum, vel improbum dictu. Itaqve etiam justi homines, qui frenare se possunt ab omni opere

injusto,

injusto, nonnunqvàm tamen ipsâ fragilitate vincuntur; ut vel in ira malum dicant; vel in aspectu rerum delectabilium, cogitatione tacitâ concupiscant. Qvod si mortalis conditio non patitur, esse hominem ab omni maculâ purum; debent ergò largitione perpetuâ peccata carnis aboleri. Unum est enim sapientis, & justi, & vitalis viri opus, divitias suas in sola justitia collocare. qvâ profectò qvi eget; licet ille Crœsum, aut Crassum divitiis superet, hic pauper, hic nudus, hic mendicus putandus est. Danda igitur opera, ut indumento justitiæ pietatisqve velemur; qvo nos exuat nemo; qvod nobis sempiternum præbet ornatum. Nam si Deorum cultores simulachra insensibilia excolunt, & qvicqvid pretiosi habent, in ea conferunt, qvibus nec uti possunt, nec gratias agere, qvi acceperint: qvanto justius est, & verius, viventia Dei simulachra excolere, ut promereare viventem? Qvæ sicut usui habent, qvicqvid acceperint, & gratias agunt; ita Deus, in cujus conspectu bonum feceris, probabit, & mercedem pietatis exsolvet.

CAP. XIV.

Si ergò in homine præclarum, & excellens est bonum, misericordia; idque divinis testimoniis, & bonorum malorumqve consensu optimum judicatur: apparet, Philosophos longè abfuisse ab humano bono; qvi neqve præceperunt ejusmodi qvicqvam, neqve fecerunt; sed hanc virtutem, qvæ in homine propemodùm singularis est, pro vitio semper habuerunt. Libet hîc interponere unum de Philosophia locum, ut illorum pleniùs coarguamus errores; qui misericordiam, cupiditatem, metum, morbos animi appellant. Conantur illi quidem virtutes à vitiis distingvere; qvod est sanè facillimum. Qvis enim

non possit liberalem à prodigo separare, (ut illi faciunt) aut parcum à sordido, aut qvietum ab inerti, aut cautum à timido? qvòd hæc, qvæ sunt bona, fines suos habeant; qvos si excesserint, in vitia labuntur; ita, ut constantia, nisi pro veritate suscepta sit, sit impudentia. Item fortitudo, si nullâ necessitate cogente, aut non pro causa honesta certum periculum subierit, in temeritatem convertetur. Libertas qvoqve, si alios insectetur potiùs, qvàm insectantibus resistat, contumacia est. Severitas etiam, nisi se intra congruentes nocentium pœnas coërceat, fit sæva crudelitas. Itaqve dicunt eos, qvi mali videantur, non suâ sponte peccare, nec mala potiùs eligere; sed bonorum specie lapsos, incidere in mala, dum bonorum, ac malorum discrimen ignorant. Hæc qvidem falsa non sunt; sed ad corpus cuncta referuntur. Nam parcum esse, aut constantem, aut cautum, aut qvietum, aut fortem, aut severum, virtutes sunt qvidem, sed hujus temporariæ vitæ. Nos autem, qvi hanc vitam contemnimus, alias nobis virtutes propositas habemus, de qvibus Philosophi ne suspicari qvidem ullâ ratione potuerunt. Itaqve & virtutes qvasdam pro vitiis, & vitia qvædam pro virtutibus habuerunt. Nam Stoici affectus omnes, qvorum impulsu animus commovetur, ex homine tollunt, cupiditatem, lætitiam, metum, mœstitiam, qvorum duo priora ex bonis sunt aut futuris, aut præsentibus; posteriora ex malis. Eodem modo hæc quatuor; morbos (ut dixi) vocant, non tàm naturâ insitos, qvàm pravâ opinione susceptos. Et iccircò eos censent extirpari posse radicitùs, si bonorum malorumqve opinio falsa tollatur. Si enim nihil censeat sapiens bonum, nihil malum; nec cupiditate ardescet; nec lætitiâ gestiet; nec metu terrebitur; nec ægri-

ægritudine contrahetur. Mox videbimus, an efficiant, qvod velint, aut qvid efficiant? interim, propositum arrogans, ac penè furiosum; qvi se putent mederi, & eniti posse contra vim, rationemqve naturæ.

CAP. XV.

Hæc enim naturalia esse, non voluntaria, omnium viventium ratio demonstrat; qvæ iisdem omnibus qvatitur affectibus. Peripatetici ergò rectiùs, qvi hæc omnia detrahi negant posse, qvia nobiscum simul nata sint; & conantur ostendere, qvàm providenter, & qvàm necessariò Deus, sive Natura (sic enim dicunt) his nos armârit affectibus; qvos tamen, qvia vitiosi plerunqve sunt, si nimii sint, posse ab homine adhibito modo salubriter temperari; ut tantum homini, qvantum naturæ satis est, relinqvatur. Non insipiens disputatio, si (ut dixi) non ad hanc vitam omnia referrentur. Stoici ergo furiosi, qvi ea non temperant, sed abscindunt; rebusqve à natura insitis, castrare hominem qvodammodò volunt. Qvod tale est, qvale si velint aut metum detrahere cervis, aut venenum angvibus, aut iram feris, aut placiditatem pecudibus. Nam qvæ singula mutis animalibus data sunt, ea verò universa homini simul. Qvod si, ut medici dicunt, lætitiæ affectus in splene est, iræ in felle, libidinis in jecore, timoris in corde; faciliùs est interficere animal ipsum, qvàm ex corpore aliqvid evellere; qvod est animantis naturam velle mutare. Sed homines prudentes non intelligunt, cum vitia ex homine tollunt, etiamsi virtus est, in medio iræ impetu seipsum cohibere, ac reprimere; qvod negare non possunt: caret ergò virtute, qvisqvis irâ caret. Si virtus est, libidinem corporis continere; virtute careat, necesse est, qvi libidinem, qvam temperet, non habet.

Si virtus est, cupiditatem ab alieni appetitione frenare, nullam certè virtutem potest habere, qvi caret eo, ad quod cohibendum, virtutis usus adhibetur. Ubi ergò vitia non sunt; nec virtuti qvidem locus est; sicut nec victoriæ qvidem, ubi adversarius nullus est. Ita fit, ut bonum sine malo esse in hac vita non possit. Affectus igitur, qvasi ubertas est naturalis animorum. Nam sicut in sentes ager, qvi est naturâ fœcundus, exuberat; sic animus incultus vitiis suâ sponte invalescentibus, velut spinis obducitur. Sed cum verus cultor accesserit, statim cedentibus vitiis, fruges virtutis oriuntur. Deus itaqve, cum hominem primum fingeret, mirabili providentiâ ingeneravit ei priùs istas animi commotiones, ut posset capere virtutem. sicut terra culturam; posuitqve materiam vitiorum, in affectibus; virtutis, in vitiis. Qvæ profectò aut nulla erit, aut in usu esse non poterit; si desint ea, per qvæ vis ejus aut apparet, aut constat. Videamus nunc, iidem illi, qvi vitia penitus excîdunt, qvid effecerint? Qvatuor illos affectus, qvos ex opinione bonorum malorumqve nasci putant; qvibus evulsis, sanandum esse animum sapientis existimant, qvoniam intelligunt & naturâ insitos esse, & sine his nihil moveri, nihil agi posse; alia qvædam in eorum locum, vicemqve supponunt: ut pro cupiditate substituant voluntatem. qvasi verò non multò sit præstabilius, bonum cupere, qvàm malum velle. Item pro lætitia gaudium: pro metu cautionem. At in illo qvarto immutandi nominis ejus, ratio deficit. Itaqve ægritudinem penitùs, id est, mœstitiam doloremqve animi sustulerunt: qvod fieri neqvaqvam potest. Qvis enim possit non dolere, si patriam aut pestilentia exhauserit, aut hostis everterit, aut tyrannus oppresserit? Potest aliqvis non

dolere, si sublatam viderit libertatem; si proximos, si amicos, si bonos viros aut exterminatos, aut crudelissimè trucidatos? nisi cujus mens ita obstupuerit, ut sit ei sensus omnis ereptus. Qvare aut omnia tollere debuerunt; aut implenda fuerat curta hæc, & debilis disputatio; id est, etiam pro ægritudine aliqvid reponendum; qvoniam superioribus ita ordinatis, hoc conseqvens erat. Ut enim præsentibus lætamur bonis; sic malis angimur, ac dolemus. Si ergo lætitiæ, qvoniam vitiosam putabant, nomen aliud indiderunt; sic ægritudini, qvoniam & ipsam vitiosam putabant, aliud vocabulum tribui congruebat. Unde apparet, non illis rem defuisse, sed verbum; cujus indigentiâ eum totum affectum, qvi est vel maximus, contra qvàm natura pateretur, auferre voluerunt. Nam illas nominum commutationes poteram coarguere pluribus; & ostendere, aut sermonis ornandi, augendæqve copiæ gratiâ, multa nomina iisdem rebus imposita, aut certè non multum inter se illa distare. Nam & cupiditas à voluntate incipit; & cautio à metu oritur; & lætitia nihil aliud est, qvàm profusum gaudium. Sed putemus; ut ipsi volunt, esse diversa. Nempe igitur cupiditatem esse dicent, perseverantem, ac perpetuam voluntatem; lætitiam verò, insolenter se efferens gaudium; metum autem, nimiam, & excedentem modum cautionem. Ita fit, ut ea, qvæ tollenda esse censent, non tollant, sed temperent; siqvidem nomina tantummodò immutant, res ipsæ manent. Eò igitur imprudentes revolvuntur, qvò Peripatetici ratione perveniunt; ut vitia, qvoniam tolli non possunt, moderanda sint. Ergò errant, qvia non efficiunt, qvod volunt; & longo asperoqve circuitu in eandem viam redeunt.

CAP. XVI.

At ego, ne Peripateticos qvidem acceſſiſſe ad veritatem, puto; qvi vitia eſſe concedunt, ſed ea mediocriter temperant. Carendum eſt enim vitiis etiam mediocribus, qvin potiùs efficiendum fuit, primùm, ne vitia esſent. nec enim qvicqvam vitioſum naſci poteſt; ſed vitia fieri, ſi malè utamur affectibus; ſi benè, virtutes. Deinde monſtrandum eſt, non ipſos affectus, ſed eorum cauſas eſſe moderandas. Non eſt, inqviunt, lætitià nimià geſtiendum, ſed modicè, ac temperatè. Hoc verò tale eſt, qvale, ſi dicerent, non eſſe currendum concitatè, ſed gradiendum qvietè. At poteſt, & qvi graditur, errare, & qvi currit, rectam viam tenere. Qvid ſi oſtendero, eſſe aliqvid, ubi non tantùm modicum, ſed vel punctum gaudere, vitioſum ſit; & aliud contra, in qvo vel exultare lætitià, minimè criminoſum? Qvid tandem nobis iſta mediocritas proderit? Qværo, utrumne ſapienti lætandum putent, ſi qvid inimico ſuo mali videat accidere; aut utrumne lætitiam frenare debeant, ſi victis hoſtibus, aut oppreſſo tyranno, libertas, & ſalus civibus parta ſit? Nemo dubitat, qvin & in illo exiguum lætari, & in hoc, parum lætari, ſit maximum crimen. Eadem de cæteris affectibus dicere licet. Sed, ut dixi, non in his moderandis ſapientiæ ratio verſatur, ſed in cauſis eorum; qvoniam extrinſecùs commoventur; nec ipſis potiſſimùm frenos imponi oportuit; qvoniam, & exigui poſſint in maximo crimine, & maximi poſſunt eſſe ſine crimine. Sed aſſignandi fuerunt certis temporibus, & rebus, & locis; ne vitia ſint, qvibus uti rectè licet. Sicut enim rectè ambulare bonum eſt, errare autem malum; ſic moveri affectibus in rectum, bonum eſt, in pravum, malum. Nam ſi

libido

libido extra legitimum torum non evagetur, licet sit vehemens, tamen culpâ caret. Sin verò appetit alienam, licet sit mediocris, vitium tamen maximum est. Non est itaqve morbus irasci, nec cupere, nec libidine commoveri; sed iracundum esse, morbus est, cupidum, libidinosum. Qvi enim iracundus est, etiam cui non debet, aut cui non oportet, irascitur. Qvi cupidus, etiam qvod non opus est, concupiscit. Qvi libidinosus, etiam qvod legibus vetatur, affectat. Omnis igitur ratio in eo versari debuit; ut, qvoniam earum impetus inhiberi non potest, nec debet, qvia necessariò est insitus ad tuenda officia vitæ; dirigeretur potiùs in viam rectam, ubi etiam cursus offensione, ac periculo careat.

CAP. XVII.

Sed evectus sum, coarguendi studio, longiùs; cùm sit mihi propositum, ea, qvæ vitia Philosophi putaverunt, ostendere non tantùm vitia non esse, verùm etiam magnas esse virtutes. Ex aliis, docendi gratiâ, sumam, qvæ pertinere ad rem maximè puto. Metum, seu timorem in maximo vitio ponunt, summamqve imbecillitatem esse animi putant; cui sit contraria fortitudo, qvæ si sit in homine, locum timori esse nullum. Creditne ergo aliqvis, fieri posse, ut idem metus summa sit fortitudo? Minimè. Neqve enim videtur capere natura, ut aliqvid in contrarium recidat. Atqvi ego non argutâ aliqvâ conclusione, ut apud Platonem Socrates facit; qvi eos, qvos contra disputat, cogit, ea, qvæ negaverant, confiteri; sed simpliciter ostendam, summum metum summam esse virtutem. Nemo dubitat, qvin timidi, & imbecilli sit animi, aut dolorem metuere, aut egestatem, aut exilium, aut carcerem, aut mortem: qvæ omnia qvisqvis non exhorruerit,

rit, fortissimus judicatur. Qvi autem Deum metuit, illa universa non metuit. Ad qvod probandum argumentis opus non est; spectatæ sunt enim, spectanturqve adhuc per orbem pœnæ cultorum Dei; in qvibus excruciandis nova, & inusitata tormenta excogitata sunt. Nam de mortis generibus horret animus recordari; cùm immanium bestiarum, ultra ipsam mortem, carnificina sævierit. Has tamen execrabiles corporum lacerationes felix, atqve invicta patientia sine ullo gemitu pertulit. Hæc virtus omnibus populis, atqve provinciis, & ipsis tortoribus miraculum maximum præbuit; cùm patientiâ crudelitas vinceretur. Atqvi hanc virtutem nihil aliud, qvàm metus Dei fecit. Itaqve (ut dicebam) non evellendus, ut Stoici; neqve temperandus timor, ut Peripatetici volunt; sed in veram viam dirigendus est; auferendiqve sunt metus; sed ita, ut is solus relinqvatur. Qvi qvoniam legitimus, ac verus est; solus efficit, ut possint cætera omnia non timeri. Cupiditas qvoqve inter vitia numeratur. Sed si hæc, quæ terrena sunt, concupiscat, vitium est; virtus autem, si cœlestia. Qvi enim justitiam, qui Deum, qvi vitam perpetuam, qvi lucem sempiternam; eaqve omnia, quæ Deus homini pollicetur, consequi cupit; opes istas, & honores, & potentatûs, & regna ipsa contemnet. Dicet fortasse Stoicus. Voluntate opus esse ad hæc consequenda, non cupiditate: imò verò parum est, velle. Multi enim volunt; sed cùm dolor visceribus accesserit, voluntas cedit, cupiditas perseverat, quæ si efficit, ut contemptui sint omnia; quæ à cæteris appetuntur, summa virtus est; siquidem continentiæ mater est. Ideòque illud potiùs efficere debemus; ut affectus, quibus pravè uti, vitium est, dirigamus in rectum. Nam

istæ

istæ concitationes animorum juncto currui similes sunt; in qvo rectè moderando summum rectoris officium est, ut viam noverit: qvam si tenebit; qvamlibet concitatè ierit, non offendet. Si autem aberraverit; licet placidè, ac leniter eat, aut per confragosa vexabitur, aut per præcipitia labetur, aut certè, qvò non est opus, deferetur. Sic cursus ille vitæ, qvi affectibus, velut eqvis pernicibus ducitur; si viam rectam teneat, fungetur officio. Metus igitur, & cupiditas, si projiciantur in terram, vitia fient; virtutes autem, si ad divina referantur. Parsimoniam contra virtutis loco habent. qvæ, si studium est habendi, non potest esse virtus; qvia in augendis, vel tuendis terrestribus bonis tota versatur. Nos autem summum bonum non referimus ad corpus; sed omne officium solius animæ conservatione metimur. Qvod si (ut supra docui) patrimonio minimè parcendum est, ut humanitatem, justitiamqve teneamus; non est virtus, frugi esse. qvod nomen virtutis specie fallit, ac decipit. Est enim frugalitas abstinentia qvidem voluptatum; sed eò vitium, qvia ex habendi amore descendit; cùm sit & voluptatibus abstinendum, & pecuniæ minimè temperandum. Nam parcè, id est, mediocriter uti pecuniâ, qvasi qvædam pusillitas animi est aut pertimentis, ne sibi desit; aut desperantis, posse se illam reparare; aut contemptum terrestrium non capientis. Sed illi rursus eum, qvi rei familiari suæ non parcat, prodigum vocant. Nam ita liberalem distingvunt à prodigo; qvòd is liberalis sit, qvi cibum & benè meritis, & cum oportet, & qvantum satis est, largiatur: prodigus verò, qvi & non meritis, & cum opus non est, & sine respectu rei familiaris, effundat. Qvid ergò? Prodigumne dicemus eum, qvi misericordiæ causâ tribuat egentibus vi-

ctum? Atqvi multum refert, utrumne ſcortis, propter libidinem largiare, an miſeris, propter humanitatem: utrum pecuniam tuam productores, aleatores, lenonesqve diripiant; an illam pietati, ac Deo præſtes: utrumne illam ventri, ac gulæ ingeras; an in theſauro juſtitiæ reponas. Ut ergò vitium eſt, effundere in malam partem; ſic in bonam, virtus. Si virtus eſt, non parcere opibus, qvæ poſſunt reparari; ut hominis vitam ſuſtentes, qvæ reparari non poteſt: vitium igitur parſimonia eſt. Qvare nihil aliud dixerim, qvàm inſanos, qvi hominem mite, ac sociale animal orbant ſuo nomine; qvi evulſis affectibus, qvibus omnis conſtat humanitas, ad immobilem ſtuporem mentis producere volunt; dum ſtudent animum à perturbationibus liberare, & (ut ipſi dicunt) qvietum tranqvillumqve reddere. Qvod fieri non tantùm non poteſt, qvia vis, & ratio ejus in motu eſt; ſed ne oportet qvidem. Qvia, ſicut aqva ſemper jacens & qvieta, inſalubris & magis turbida eſt: animus immotus ac torpens, inutilis eſt etiam ſibi; nec vitam ipſam tueri poterit, qvia nec faciet qvicqvam, nec cogitabit; cùm cogitatio ipſa nihil aliud ſit, qvàm mentis agitatio. Deniqve qvi hanc immobilitatem animi afferunt, privare animum vitâ volunt; qvia vita actuoſa eſt, mors qvieta. Qvædam etiam rectè pro virtutibus habent; ſed earum modum non tenent. Virtus eſt conſtantia; non, ut inferentibus injuriam reſiſtamus; his enim cedendum eſt; qvod cur fieri debeat, mox docebo; ſed ut jubentibus facere nos contra Dei legem, contraqve juſtitiam, nullis minis, aut ſuppliciis terreamur; qvò minùs Dei juſſionem hominis juſſioni præferamus. Item virtus eſt, mortem contemnere; non ut appetamus, eamqve ultrò nobis inferamus; ſicut Philoſophorum plurimi

rimi & maximi sæpè fecerunt; qvod est sceleratum, ac nefarium; sed ut coacti Deum relinqvere, ac fidem prodere, mortem suscipere malimus; libertatemqve defendamus adversùs impotentium stultam, vecordemqve violentiam; & omnes seculi minas, atqve terrores fortitudine animi provocemus. Sic ea, qvæ alii timent; excelsa & insuperabili mente, dolorem mortemqve calcamus. Hæc est virtus; hæc vera constantia, in hoc tuenda, & conservanda solo, ut nullus nos terror, nulla vis à Deo possit avertere. Vera igitur Ciceronis illa sententia est. Nemo, inqvit, justus potest esse, qvi mortem, qvi dolorem, qvi exilium, qvi egestatem timet. Item Senecæ in libris moralis Philosophiæ dicentis: Hic est ille homo honestus, non apice, purpurave, non lictorum insignis ministerio, sed nulla re minor; qvi, cum mortem in vicinia videt, non sic perturbatur, tanqvàm rem novam viderit; qvi, sive toto corpore tormenta patienda sunt, sive flamma ore recipienda est, sive extendendæ per patibulum manus, non qværit, qvid patiatur, sed qvàm benè. Qvi autem Deum colit, hæc patitur, nec timet: ergò justus. His rebus efficitur, ut neqve virtutes, neqve virtutum exactissimos limites nosse, aut tenere possit omninò, qvisqvis est à religione Dei singularis alienus.

CAP. XVIII.

Sed omittamus Philosophos, qvi aut omninò nihil sciunt, idqve ipsum pro summa scientia præ se ferunt; aut qvi non perspiciunt etiam qvæ sciunt; aut qvi, qvoniam se putant scire, qvæ nesciunt, ineptè arroganterqve desipiunt. Nos ergò (ut ad propositum revertamur) qvibus solis à Deo veritas revelata, & cælitùs missa sapientia est, faciamus, qvæ jubet illuminator noster Deus; sustineamus

invicem, & labores hujus vitæ mutuis adjumentis perferamus: nec tamen, ſiqvid boni operis fecerimus, gloriam captemus ex eo: monet enim Deus, operatorem juſtitiæ non oportere eſſe jactantem; ne non tàm mandatis cœleſtibus obſeqvendi, qvàm ſtudio placendi, humanitatis officio functus eſſe videatur; habeatqve jam pretium gloriæ, qvod captavit; nec præmium cæleſtis illius, ac divinæ mercedis accipiat. Cætera, qvæ obſervare cultor Dei debet, facilia ſunt, illis virtutibus comprehenſis; ut non mentiatur unqvam, decipiendi, aut nocendi causâ. Eſt enim nefas, eum, qvi veritati ſtudeat, in aliqva re eſſe fallacem; atqve ab ipſa, qvam ſeqvitur, veritate diſcedere. In hac juſtitiæ, virtutumqve omnium via, nullus mendacio locus eſt. Itaqve viator ille verus, ac juſtus non dicet illud Lucilianum:

Homini amico, ac familiari, non eſt mentiri meum.

Sed etiam inimico, atqve ignoto exiſtimabit non eſſe mentiri ſuum, nec aliqvando committet, ut lingua interpres animi à ſenſu, & cogitatione diſcordet. Pecuniæ, ſi qvam crediderit, non accipiat uſuram, ut & beneficium ſit incolume, qvod ſuccurrat neceſſitati; & abſtineat ſe prorſus alieno. In hoc enim genere officii debet ſuo eſſe contentus, qvem oporteat aliàs ne proprio qvidem parcere, ut bonum faciat; plus autem accipere, qvàm dederit, injuſtum eſt. Qvod qvi facit, inſidiatur qvodammodò, ut ex alterius neceſſitate prædetur. At juſtus nunqvàm prætermittet, qvò minùs aliqvid miſericorditer faciat; nec inquinabit ſe hujusmodi qvæſtu; ſed efficiet, ut ſine ullo ſuo damno, id ipſum, quod commodet, inter bona opera numeretur. Munus non accipiat à paupere; ut, ſiqvid ipſe præſtiterit, eo bonum ſit, quo fuerit gratui-

tum.

tum. Malè dicenti benè dicto respondeat, nunqvàm ipse malè dicat; nec verbum malum procedat ex ore hominis, qvi colit verbum bonum. Qvin etiam caveat diligenter, nequando inimicum suâ culpâ faciat; &, siqvis extiterit tàm protervus, qvi bono, & justo faciat injuriam; clementer, ac moderatè ferat; & ultionem non sibi assumat, sed judicio Dei servet. Innocentiam semper, & ubiqve custodiat. Qvod præceptum non ad hoc tantùm valet, ut ipse injuriam non inferat; sed, ut illatam sibi, non vindicet. Sedet enim maximus, & æqvissimus judex, speculator, ac testis omnium. Hunc homini præferat; hunc malit de causa sua pronuntiare; cujus sententiam nemo effugere potest, nec defensione cujusqvàm, nec gratia. Ita fit, ut homo justus contemptui sit omnibus, &, qvia putabitur, semetipsum defendere non posse, habebitur pro segni, & inerti. Qvi autem fuerit ultus inimicum; hic fortis, hic strenuus judicatur; hunc colunt, hunc omnes verentur. Bonus verò ille, tametsi prodesse omnibus, vel pluribus possit; illum tamen suspiciunt, qvi nocere, qvàm qvi prodesse possit. Sed justum pravitas hominum depravare non poterit, qvò minùs Deo studeat obtemperare; malintqve contemni, dummodò semper boni fungatur officio, mali nunquàm. Cicero in iisdem illis officialibus libris: At verò siqvis voluerit, inquit, animi sui complicatam notionem evolvere, jam se ipse doceat, eum virum bonum esse, qvi prosit, quibus possit, noceat nemini, nisi lacessitus injuriâ. O qvàm simplicem, veramq; sententiam duorum verborum adjectione corrupit. Quid enim opus fuerat, adjungere, nisi lacessitus injuriâ? ut vitium bono viro, quasi caudam turpissimam, apponeret; patientiæqve, qvæ omnium virtutum maxima est, faceret

expertem? Nociturum esse dixit bonum virum, si fuerit lacessitus; jam ex hoc ipso boni viri nomen amittat, necesse est, si nocebit. Non minùs enim mali est, referre injuriam, qvàm inferre. Nam unde certamina inter homines, unde pugnæ contentionesqve nascuntur; nisi qvòd improbitati opposita impatientia, magnas sæpe concitat tempestates? Qvòd si sapientiam, qvâ virtute nihil verius, nihil homine dignius inveniri potest, improbitati opposueris; extinguetur protinùs; tanqvàm si igni aqvam superfuderis. Sin autem provocatrix illa improbitas impatientiam sibi comparem nacta est; tanqvàm perfusa oleo, tantum excitabit incendium, ut id non flumen aliqvod, sed effusio cruoris extinguat. Magna itaqve patientiæ ratio est; qvam sapiens homo ademit bono viro. Ut enim nihil malorum fiat, hæc sola efficit. Quæ si detur omnibus; nullum scelus, nulla fraus in rebus humanis erit. Qvid ergò bono viro potest esse tam calamitosum, tamque contrarium, quàm iræ frena permittere; qvæ illum non modo boni, sed etiam hominis appellatione dispoliet? Siquidem nocere alteri, ut ipse verissimè ait, non est secundum hominis naturam. Nam & pecudes, si lacessas, aut calce, aut cornu repugnant: & serpentes, ac feræ, nisi persequaris, ut occidas; negotium non exhibent; & (ut ad hominum exempla redeamus) imperiti qvoqve, & insipientes, si quando accipiunt injuriam, cæco, & irrationabili furore ducuntur; & iis, qui sibi nocent, vicem retribuere conantur. In quo igitur sapiens, ac bonus vir à malis, & insipientibus differt; nisi quòd regere se, ac mitigare iram suam novit; quàm illi, quia virtute indigent, refrenare non possunt? Sed videlicet hæc illum res fefellit, quia, cùm de virtute quæreretur, in qvacunq;

con-

contentione vinceret, putavit esse virtutis: nec videre ullo modo potuit, hominem dolori, & iræ succumbentem; & iis affectibus indulgentem, quibus debet potiùs reluctari; & ruentem quacunque improbitas provocârit; virtutis officium non tenere. Qui enim referre injuriam nititur; eum ipsum, à quo læsus est, gestit imitari. Ita qui malum imitatur, bonus esse nullo pacto potest. Duobus igitur verbis duas virtutes maximas bono, & sapienti viro, innocentiam patientiamque detraxit. Sed quia ipse caninam illam facundiam (sicut Sallustius ab Appio dictum refert) exercuit; voluit quoque hominem canino modo vivere, ut remordeat lacessitus. Quæ retributio contumeliæ qvàm perniciosa sit, & qvas edere soleat strages; unde opportunius petetur exemplum, qvàm ex ipsius doctoris tristissimo casu; qui, dum his Philosophorum præceptis obtemperare gestit, ipse se perdidit? Quod si lacessitus injuriâ patientiam tenuisset; si dissimulare, si ferre contumeliam boni viri esse didicisset; nec illas nobiles orationes alieno titulo inscriptas, impatientiâ & levitate, & insaniâ profudisset: nunqvàm capite suo rostra, in quibus ante floruerat, cruentasset: nec rempublicam funditus proscriptio illa delêsset. Sapientis ergò, ac boni viri non est, velle certare; ac se periculo committere, quoniam & vincere non est in nostra potestate; & est anceps omne certamen: sed est sapientis, atque optimi viri, non adversarium velle tollere; quod fieri sine scelere, ac periculo non potest; sed certamen ipsum; quod fieri & utiliter, & justè potest. Summa igitur virtus habenda patientia est. quâ ut non careret homo justus, voluit illum Deus (ut supra dictum est) pro inerte contemni. Nisi enim contumeliis fuerit affectus; quantum habeat fortitudinis in

seipso

ſeipſo cohibendo, ignorabitur. Si autem, laceſſitus injuriâ, lædentem perſequi cœperit; victus eſt. Si verò motum illum ratione compreſſerit; hic planè imperat ſibi; & hic regere ſe poteſt. Qvæ ſuſtentatio ſui, rectè patientia nominatur. quæ una virtus omnibus eſt oppoſita vitiis, & affectibus. Hæc perturbatum ac fluctuantem animum ad tranqvillitatem ſuam revocat; hæc mitigat; hæc hominem ſibi reddit. Ergò qvoniam naturæ repugnare impoſſibile eſt, & utile, ut non commoveamur omninò; priùs tamen, qvàm commotio illa proſiliat ad nocendum, quod fieri poteſt, maturiùs ſopiatur. Præcepit Deus, non occidere ſolem ſuper iram noſtram; ne furoris noſtri teſtis abſcedat. Denique M. Tullius contra ſuum præceptum, de quo paulò ante dixi, oblivionem injuriarum in magnis laudibus poſuit. Spero, inqvit, Cæſar, qui obliviſci nihil ſoles, niſi injurias. Qvod ſi hoc ille faciebat, homo non à cœleſti tantùm, ſed à publica qvoqve, civiliqve juſtitia remotiſſimus: quantò magis id nos facere debemus, qui immortalitatis velamine Candidati ſumus?

CAP. XIX.

Stoicis, cum affectus ex homine, tanquàm morbos conantur evellere, Peripatetici ſe opponunt; eosqve non modò retinent, ſed etiam defendunt; nihilqve in homine eſſe dicunt, qvod non magna ratione, ac providentiâ ſit innatum. Rectè id qvidem, ſi ſingularum rerum veros terminos ſcirent. Itaqve hanc ipſam iram, cotem dicunt eſſe virtutis, tanquam nemò poſſit adverſus hoſtes fortiter dimicare, niſi fuerit ira concitatus. Quò planè oſtendunt, nec, quid ſit virtus, ſcire ſe; nec, cur homini tribuerit iram Deus. Qvæ ſi nobis ideò data eſt, ut eâ utamur ad occidendos homines; quid immanius homine; qvid

ſimilius

ſimilius feris belluis exiſtimandum eſt, qvàm id animal, qvod ad communionem, & innocentiam Deus fecit? Tres ſunt igitur affectus, qvi homines in omnia facinora præcipites agunt; ira, cupiditas, libido. Propterea Poëtæ tres furias eſſe dixerunt, qvæ mentes hominum exagitant; ira ultionem deſiderat; cupiditas opes; libido voluptates. Sed his omnibus Deus certos limites ſtatuit; qvos ſi tranſcenderint, majoresqve eſſe cœperint; neceſſe eſt, naturam ſuam depravent, & in morbos, ac vitia vertantur. Qvi autem ſint iſti limites; non eſt magni laboris oſtendere Cupiditas ad ea comparanda nobis data eſt, qvæ ſunt ad vitam neceſſaria; libido ad ſobolem propagandam; iræ affectus ad coërcenda peccata eorum, qvi ſunt in noſtra poteſtate, ut arctiore diſciplinà minor ætas ad probitatem, juſtitiamq; formetur; qvæ, niſi metu cohibeatur, licentia pariet audaciam; qvæ ad omne flagitium, & facinus evadet. Itaqve ut ira uti, adverſum minores, & juſtum eſt, & neceſſarium; ſic & adverſum pares, & pernicioſum eſt, & impium. Impium, qvòd violatur humanitas; pernicioſum, qvòd, illis repugnantibus, aut perdere neceſſe eſt, aut perire. Hanc autem, qvam dixi, eſſe rationem, cur homini ſit iræ affectus datus; ex ipſius Dei præceptis intelligi poteſt; qvi jubet, uti maledictis, & lædentibus non iraſcamur; manûs autem noſtras ſupra minores ſemper habeamus; hoc eſt, ut peccantes eos aſſiduis verberibus corrigamus; ne amore inutili, & indulgentià nimià educentur ad malum, & ad vitia nutriantur. Sed rerum imperiti, & rationis ignari, eos affectus, qvi ſunt homini ad uſus bonos dati, exterminaverunt; & latiùs, qvàm ratio poſtulat, evagantur. Inde injuſtè, atq; impiè vivitur. Utuntur irà, contra pares: hinc diſſidia, hinc expulſiones, hinc bella contra juſtitiam nata ſunt. Utuntur cupiditate, ad congregandas opes: hinc fraudes, hinc latrocinia, hinc omnia ſcelerum genera orta ſunt. Utuntur libidine ad capiendas tantùm voluptates: hinc ſtupra, hinc adulteria, hinc corruptelæ omnes extiterunt. Qvicunqve igitur illos affectûs intra fines ſuos redegerit; qvod, ignorantes Deum, facere non poſſunt; hic patiens, hic fortis, hic juſtus eſt.

CAP. XX.

Reſtat, ut contra qvinqve ſenſuum voluptates dicam breviter.

nam & ipsius libri mensura jam modum flagitat: qvæ omnes, qvoniam vitiosæ, ac mortiferæ sunt; virtute superari, atqve opprimi debent, vel (qvod paulò antè dicebam de affectibus,) ad rationem suam revocari. Cæteræ animantes, præter unam voluptatem, qvæ ad generandum pertinet, nullam sentiunt. Utuntur ergo sensibus, ad naturæ suæ necessitatem: vident, ut appetant ea, qvibus opus est ad vitam tuendam: audiunt invicem, seqve dignoscunt, ut possint congregari. Qvæ utilia sunt ad victum; aut ex odore inveniunt, aut ex sapore percipiunt; inutilia respuunt, aut recusant. Edendi ac bibendi officium ventris plenitudine metiuntur. Homini verò solertissimi artificis providentia dedit voluptatem infinitam, & in vitium cadentem; qvi proposuit ei virtutem, qvæ cum voluptate semper, tanqvàm cum domestico hoste pugnaret. Cicero in Catone majore: Stupra verò, inqvit, & adulteria, & omne flagitium nullis excitari aliis illecebris, nisi voluptatis. Cùmqve homini sive natura, sive qvis Deus, nihil mente præstabilius dedisset; huic divino muneri, ac dono nihil tam inimicum, qvam voluptatem. Nec enim libidine dominante, temperantiæ locum esse; neqve in voluptatis regno virtutem posse consistere; sed è contrario Deus iccircò virtutem dedit, ut expugnaret, ac vinceret voluptarem; eamqve egredientem fines sibi datos, intra præscriptum coërceret; ne hominem suavitatibus delinitum, atqve captum, ditioni suæ subjiceret, ac sempiternâ morte multaret. Voluptas oculorum varia, & multiplex est; qvæ capitur ex aspectu rerum, qvæ sunt in usu hominum, vel natura, vel opere delectabiles. Hanc Philosophi rectissimè sustulerunt. Ajunt enim multò esse præclarius, & homine dignius, cœlum potius, qvàm cælata intueri; & hoc pulcherrimum opus, intermicantibus astrorum luminibus, tanqvàm floribus adornatum, qvàm picta, & ficta, & gemmis distincta mirari. Sed cum disertè ad contemptum terrestrium nos exhortati sunt, & ad cæli spectaculum excitaverunt; tamen spectacula hæc publica non contemnunt. Itaqve his & delectantur, & libenter intersunt. Qvæ, qvoniam maxima sunt irritamenta vitiorum; & ad corrumpendos animos potentissimè valent; tollenda sunt nobis, qvia non modò ad beatam vitam nihil conferunt, sed etiam nocent plurimùm. Nam qvi hominem,

minem, qvamvis ob merita damnatum, in conſpectu ſuo jugulari pro voluptate computat; conſcientiam ſuam polluit; tam ſcilicet, qvàm ſi homicidii, qvod fit occultè, ſpectator, & particeps fiat. Hos tamen ludos vocant, in qvibus humanus ſanguis effunditur. Adeò longè ab hominibus ſeceſſit humanitas; ut, cùm animas hominum interficiant, ludere ſe opinentur, nocentiores iis omnibus, qvorum ſangvinem voluptati habent. Qværo nunc, an poſſint pii, & juſti homines eſſe, qvi conſtitutos ſub ictu mortis, ac miſericordiam deprecantes, non tantùm patiuntur occidi, ſed efflagitant feruntqve ad mortem crudelia, & inhumana ſuffragia; nec vulneribus ſatiati, nec cruore contenti: qvin etiam percuſſos jacentesqve repeti jubent, & cadavera ictibus diſſipari; ne qvis illos ſimulatâ morte deludat. Iraſcuntur etiam pugnantibus, niſi celeriter è duobus alter occiſus eſt; & tanqvàm humanum ſangvinem ſitiant, oderunt moras. Alios illis compares dari poſcunt recentiores, ut qvamprimùm oculos ſuos ſatient. Hâc conſuetudine imbuti, humanitatem perdiderunt. Itaqve non parcunt etiam innocentibus; ſed exercent in omnes, qvod in malorum trucidatione didicerunt. Hujus igitur publici homicidii ſocios & participes eſſe, non convenit eos, qvi juſtitiæ viam tenere nituntur. Non enim cum occidere Deus vetat, latrocinari nos tantùm prohibet; qvod ne per leges qvidem publicas licet; ſed ea qvoqve, ne fiant, monet, qvæ apud homines pro licitis habentur. Ita neqve militare juſto licebit, cujus militia eſt in ipſa juſtitia; neqve verò accuſare qvenqvam crimine capitali: qvia nihil diſtat, utrumne ferro, an verbo potiùs occiſio ipſa prohibeatur. Itaqve in hoc Dei præcepto nullam prorſus exceptionem fieri oportet, qvin occidere hominem ſit ſemper nefas; qvem Deus ſanctum animal eſſe voluit. Ergò ne illud qvidem concedi aliqvis exiſtimet, ut recentes natos liceat oblidere; qvæ vel maxima eſt impietas. Ad vitam enim Deus inſpirat animas, non ad mortem. Verùm homines, ne qvod ſit facinus, qvo manûs ſuas non polluant, rudibus adhuc, & ſimplicibus animis abnegant lucem non à ſe datam. Exſpectet verò aliqvis, ut alieno ſangvini parcant, qvi non parcunt ſuo. Sed hi ſine ullo controverſia ſcelerati, & injuſti. Qvid illi, qvos falſa pietas cogit exponere? Non poſſunt

innocentes existimari, qvi viscera sua in prædam canibus objiciunt; &, qvantum in ipsis est, crudeliùs necant, qvàm si strangulassent. Qvis dubitet, qvin impius sit, qvi alienæ misericordiæ locum non tribuit? qvi, etiamsi contingat ei, qvod voluit, ut alatur, addixit certè sangvinem suum vel ad servitutem, vel ad lupanar. Qvæ autem possint, vel soleant accidere in utroqve sexu, vel per errorem, qvis non intelligit? qvis ignorat? Qvod vel unius Oedipodis declarat exemplum, duplici scelere confusum. Tàm igitur nefarium est, exponere, qvàm necare. At enim parricidæ facultatum angustias conqveruntur; nec se pluribus liberis educandis sufficere posse prætendunt; qvasi verò aut facultates sint possidentium; aut non qvotidiè Deus ex divitibus pauperes, & ex pauperibus divites faciat. Qvare si qvis liberos ob pauperiem non poterit educare; satius est, ut se ab uxoris congressione contineat, qvàm sceleratis manibus Dei opera corrumpat. Ergò si homicidium facere nullo modo licet; nec interesse omninò conceditur, ne conscientiam perfundat ullus cruor. Siqvidem populo sangvis ille præstatur. In scenis qvoqve, nescio an sit, corruptela vitiosior. Nam & comicæ fabulæ de stupris virginum loqvuntur, aut amoribus meretricum; & qvò magis sunt eloqventes, qvi flagitia illa finxerunt, eò magis sententiarum elegantiâ persuadent; & faciliùs inhærent audientium memoriæ versus numerosi, & ornati. Item tragicæ historiæ subjiciunt oculis parricidia, & incesta Regum malorum, & cothurnata scelera demonstrant. Histrionum qvoqve impudicissimi motus, qvid aliud, nisi libidines docent, & instigant? qvorum enervata corpora, & in muliebrem incessum habitumqve mollita, impudicas fæminas inhonestis gestibus mentiuntur. Qvid de mimis loqvar, corruptelarum præferentibus disciplinam? qvi docent adulteria, dum fingunt, & simulatis erudiunt ad vera? Qvid juvenes, aut virgines faciant, cùm hæc & fieri sine pudore, & spectari libenter ab omnibus cernunt? Admonentur utiqve, qvid facere possint, & inflammantur libidine, qvæ aspectu maximè concitatur; ac se qvisqve pro sexu in illis imaginibus præfigurat; probantqve illa, dum rident; & adhærentibus vitiis, corruptiores ad cubicula revertuntur: nec pueri modò, qvos præmaturis vitiis imbui non oportet;

tet; sed etiam senes, qvos peccare jam non decet. Circensium qvoqve ludorum ratio qvid aliud habet, nisi levitatem, vanitatem, insaniam? Tanto namqve impetu concitantur animi in furorem, qvanto illic impetu curritur: ut jam plus spectaculi exhibeant, qvi spectandi gratiâ veniunt, cùm exclamare, & efferri, & exilire cœperint. Vitanda ergo spectacula omnia; non solùm, ne qvid vitiorum pectoribus insideat, qvæ sedata, & pacifica esse debent; sed ne cujus nos voluptatis consuetudo deliniat: & à Deo, atqve à bonis operibus avertat. Nam ludorum celebrationes, deorum festa sunt: siqvidem ob natales eorum, vel templorum novorum dedicationes sunt constituti. Et primitùs qvidem venerationes, qvæ vocantur munera, Saturno attributæ sunt; ludi autem scenici Libero; Circenses Neptuno. Paulatim vero & cæteris diis idem honos tribui cœpit; singuliq; ludi numinibus eorum consecrati sunt; sicut Sisinius Capito in libris spectaculorum docet. Si qvis igitur spectaculis interest, ad qvæ religionis gratiâ convenitur; discessit à Dei cultu, & ad deos se contulit; qvorum natales, & festa celebravit.

CAP. XXI.

Aurium voluptas ex vocum, & cantuum suavitate percipitur; qvæ scilicet tàm vitiosa est, qvàm oblectatio illa, de qva diximus, oculorum. Qvis enim non luxuriosum, ac neqvam putet eum, qvi scenicas artes domi habeat? Atqvi nihil refert, utrumne luxuriam solus domi, an cum populo exerceas in theatro. Sed jam de spectaculis dictum est. restat unum, qvod est nobis expugnandum; ne capiamur iis, qvæ ad sensum intimum penetrant. Nam illa omnia, qvæ verbis carent, id est aëris, & nervorum suaves soni, possunt facilè contemni; qvia non adhærent, nec scribi possunt. Carmen autem compositum, & oratio cum suavitate decipiens, capit mentes, &, qvò voluerit, impellit. Inde homines literati cùm ad Dei religionem accesserint, ab aliqvo imperito doctore fundati, minùs credunt. Assueti enim dulcibus, & politis sive orationibus, sive carminibus, divinarum literarum simplicem communemqve sermonem pro sordido aspernantur. Id enim qværunt, qvod sensum demulceat. Persuadet autem, qvicqvid suave est; & animo penitùs,

nitùs, dum delectat, insidet. Num igitur Deus & mentis, & vocis, & linguæ artifex disertè loqvi non potest? Imò verò summâ providentiâ carere fuco voluit ea, qvæ divina sunt; ut omnes intelligerent, qvæ ipse omnibus loqvebatur. Ergò qvi veritati studet, qvi non vult se ipse decipere, abjiciat inimicas, ac noxias voluptates; qvæ animam sibi vinciant, ut corpus cibi dulces: præferantur vera falsis, æterna brevibus, utilia jucundis. Nihil aspectu gratum sit, nisi qvod piè, qvod justè fieri videas; nihil auditu suave, nisi qvod alit animam, melioremqve te reddit. Maximèqve hic sensus non est ad vitium detorqvendus; qvi nobis ideò datus est, ut doctrinam Dei percipere possemus. Itaqve si voluptas est, audire cantûs & carmina; Dei laudes canere & audire, jucundum sit. Hæc est voluptas vera, qvæ comes, & socia virtutis est. Hæc est non caduca, & brevis, ut illæ, qvas appetunt, qvi corpori, ut pecudes, serviunt; sed perpetua, & sine ulla intermissione delectans. Cujus terminos si qvis excesserit, nihilqve aliud ex voluptate petierit, nisi ipsam voluptatem; hic mortem meditatur; qvia, sicut vita perpetua in virtute est, ita mors in voluptate. Qvi enim temporalia maluerit, carebit æternis; qvi terrena prætulerit, cœlestia non habebit.

CAP. XXII.

Ad voluptates autem saporis, & odoris, qvi duo sensus ad solum corpus pertinent, nihil est, qvod à nobis disputetur; nisi fortè qvis exigit, ut dicamus, turpe esse Sapienti, ac bono, si ventri, & gulæ serviat; si ungventis oblitus, ac floribus coronatus incedat; qvod qvi facit, utiqve insipiens, ineptus, & nihili est, & qvem ne odor qvidem virtutis attigerit. Fortasse qvispiam dixerit: cur ergò illa facta sunt, nisi ut iis fruamur? At enim jam sæpè dictum est, virtutem nullam fuisse futuram, nisi haberet, qvæ opprimeret. Itaqve fecit omnia Deus ad instruendum certamen rerum duarum. Ergò illecebræ istæ voluptatum, arma sunt illius, cujus opus unum est, expugnare virtutem, justitiamqve ab omnibus excludere. His blandimentis, & suavitatibus titillat animas. Scit enim, qvia mortis est fabricatrix voluptas. Nam sicut Deus hominem ad vitam, non nisi per virtutem, ac laborem vocat; ita ille ad mortem per delicias, ac voluptates. Et sicut ad verum bonum per fallacia mala,

sic

ſic ad verum malum, per fallacia bona pervenitur. Cavenda ſunt igitur oblectamenta iſta, tanqvàm laqvei, & plagæ; ne ſvavitudinum mollicie capti, ſub ditionem mortis, cum ipſo corpore redigamur, cui nos mancipavimus.

CAP. XXIII.

Venio nunc ad eam, qvæ percipitur ex tactu, voluptatem: qvi ſenſus eſt qvidem totius corporis. Sed ego non de ornamentis, aut veſtibus, ſed de ſola libidine dicendum mihi puto; qvæ maximè coërcenda eſt, qvia maximè nocet. Cùm cogitaſſet Deus duorum ſexuum rationem; attribuit iis, ut ſe invicem appeterent, & conjunctione gauderent. Itaqve ardentiſſimam cupiditatem cunctorum animantium corporibus admiſcuit, ut in hos affectûs avidiſſimè ruerent; eâqve ratione propagari, & multiplicari genera poſſent. Qvæ cupiditas, & appetentia, in homine vehementior & acrior invenitur; vel qvia hominum multitudinem voluit eſſe majorem, vel qvoniam virtutem ſoli homini dedit; ut eſſet laus, & gloria in coërcendis voluptatibus, & abſtinentia ſui. Scit ergò adverſarius ille noſter, qvanta ſit vis hujus cupiditatis, qvam qvidam neceſſitatem dicere maluerunt, eamqve à recto, & bono ad malum, & pravum transfert. Illicita enim deſideria immittit; ut aliena contaminent, qvibus habere propria, ſine delicto licet. Objicitq; oculis irritabiles formas, ſuggeritqve fomenta; & vitiis pabulum ſubminiſtrat: tùm intimis viſceribus ſtimulos omnes conturbat, & commovet, & naturalem illum incitat, atqve inflammat ardorem; donec irretitum hominem, implicatumqve decipiat. Ac ne qvis eſſet, qvi pœnarum metu abſtineret alieno, lupanaria qvoqve conſtituit; & pudorem infelicium mulierum publicavit, ut ludibrio haberet tàm eos, qvi faciunt, qvàm qvas pati, neceſſe eſt. His obſcœnitatibus animas ad ſanctitatem genitas, velut in cœni gurgite demerſit, pudorem extinxit, pudicitiam flagitavit. Idem etiam mares maribus admiſcuit; & nefandos coitûs contra naturam, contraqve juſtitiam Dei machinatus eſt: ſi imbuit homines, & armavit ad nefas omne. Qvid enim poteſt eſſe ſanctum iis, qvi ætatem imbecillam, & præſidio indigentem, libidini ſuæ depopulandam, fœdandamqve ſubſtraverint? Non poteſt hæc res pro magnitudine

ſceleris enarrari. Nihil amplius iſtos appellare poſſum, qvàm impios, & parricidas, qvibus non ſufficit ſexus à Deo datus, niſi & ſuum profanè, ac petulanter illudant. Hæc tamen apud illos levia, & qvaſi honeſta ſunt. Qvid dicam de iis, qvi abominandam non libidinem, ſed inſaniam potiùs exercent? Piget dicere; ſed qvid his fore credamus, qvos non piget facere? & tamen dicendum eſt, qvia fit. De iſtis loqvor, qvorum teterrima libido, & execrabilis furor ne capiti qvidem parcit. Qvibus hoc verbis, aut qvâ indignatione tantum nefas proſeqvar? vincit officium linguæ, ſceleris magnitudo. Cùm igitur libido hæc edat opera, & hæc facinora; deſignet; armandi adverſus eam virtute maximâ ſumus. Qvisqvis affectûs illos frenare non poteſt, cohibeat eos intra præſcriptum legitimi tori; ut & illud, qvod avidè expetit, aſſeqvatur; & tamen in peccatum non incidat. Nam qvid ſibi homines perditi volunt? Nempe honeſta opera voluptas ſeqvitur: ſi ipſam per ſe appetunt; juſtâ & legitimâ frui licet. Qvod ſi aliqva neceſſitas prohibebit; tùm verò maxima adhibenda virtus erit, ac cupiditati continentia reluctetur. Nec tantùm alienis toris, qvæ attingere non licet; verùm etiam publicis vulgatisqve corporibus abſtinere, Deus præcepit; docetqve nos, cùm duo inter ſe corpora fuerint copulata, unum corpus efficere. Ita qvi ſe cœno immerſerit, cœno ſit oblitus, neceſſe eſt: & corpus qvidem citò ablui poteſt; mens autem contagione impudici corporis inqvinata non poteſt; niſi & longo tempore, & multis bonis operibus, ab ea, qvæ inhæſerit, colluvione purgari. Oportet ergo ſibi qvemqve præponere duorum ſexuum conjunctionem generandi causâ datam eſſe viventibus, eamqve legem his affectibus poſitam, ut ſucceſſionem parent. Sicut autem dedit nobis oculos Deus, non ut ſpectemus, voluptatemq; capiamus; ſed ut videamus, propter eos actûs, qvi pertinent ad vitæ neceſſitatem: ita genitalem corporis partem, qvod nomen ipſum docet, nullâ aliâ causâ, niſi efficiendæ ſobolis, accepimus. Huic divinæ legi ſummâ devotione parendum eſt. Sint omnes, qvi ſe diſcipulos Dei profitebuntur, ita morati, & inſtituti, ut imperare ſibi poſſint. Nam qvi voluptatibus indulgent, qvi libidini inſeqvuntur, ii animam ſuam corpori mancipant, morteqve condemnant;

qvia

qvia se corpori addixerunt, in qvo habet mors potestatem. Unusqvisqve igitur, qvantum potest, formet se ad verecundiam, pudorem colat, castitatem conscientiâ, & mente tueatur: nec tantùm legibus publicis pareat; sed sit supra omnes leges, qvi legem Dei seqvitur. Qvibus bonis si assueverit, jam pudebit eum in deteriora descendere: modò placeant recta, & honesta; qvæ melioribus jucundiora sunt, qvàm prava & inhonesta pejoribus. Nondum omnia castitatis officia executus sum; qvam non modò Deus intra privatos parietes, sed etiam præscripto lectuli terminat; ut, cùm qvis habeat uxorem, neqve servam, neqve liberam habere insuper velit, sed matrimonio fidem servet. Non enim, sicut juris publici ratio est, sola mulier adultera est, qvæ habet alium; maritus autem, etiamsi plures habeat, à crimine adulterii solutus est. Sed divina lex ita duos in matrimonium, qvod est in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur, qvisqvis compagem corporis in diversa distraxerit. Nec ob aliam causam Deus, cùm cæteras animantes, suscepto fœtu, maribus repugnare voluisset; solam omnium mulierem, patientem viri fecit; scilicet, ne fœminis repugnantibus, libido cogeret viros aliud appetere; eoqve facto, castitatis gloriam non tenerent. Sed neqve mulier virtutem pudicitiæ caperet, si peccare non posset. Nam qvis mutum animal pudicum esse dixerit, qvod, suscepto fœtu, mari repugnat? Qvod ideò facit, qvia necesse est, in dolorem, atqve in periculum veniat, si admiserit. Nulla igitur laus est, non facere, qvod facere non possis. Ideò autem pudicitia in homine laudatur; qvia non naturalis est, sed voluntaria. Servanda igitur fides ab utroqve alteri est; imò exemplo continentiæ, docenda uxor, ut se castè gerat. Iniqvum est enim, ut id exigas, qvod præstare ipse non possis. Qvæ iniqvitas effecit profectò, ut essent adulteria, fœminis ægrè ferentibus, præstare se fidem non exhibentibus mutuam caritatem. Deniqve nulla est tàm perditi pudoris adultera, qvæ non hanc causam vitiis suis prætendat; injuriam se peccando non facere, sed referre. Qvod optimè Qvintil. expressit: Homo, inqvit, neqve alieni matrimonii abstinens, neqve sui custos, qvæ in-

ter se naturâ connexa sunt. Nam neqve maritus, circa corrumpendas aliorum conjuges occupatus, potest vacare domesticæ sanctitati; & uxor, cum in tale incidit matrimonium, exemplo ipso incitata, aut imitari se putat, aut vindicare. Cavendum igitur, ne occasionem vitiis nostrâ intemperantiâ demus; sed assuescant invicem mores duorum; & jugum paribus animis ferant. Nos ipsos in altero cogitemus. Nam ferè in hoc justitiæ summa consistit; ut non facias alteri, qvicqvid ipse ab altero pati nolis. Hæc sunt, qvæ ad continentiam præcipiuntur à Deo. Sed tamen ne qvis divina præcepta circumscribere se putet posse; addantur illa, ut omnis calumnia, & occasio fraudis removeatur; adulterum esse, qvi à marito dimissam duxerit; & eum, qvi præter crimen adulterii uxorem dimiserit, ut alteram ducat: dissociari enim corpus, & distrahi Deus noluit. Præterea non tantùm adulterium esse vitandum, sed etiam cogitationem; ne qvis aspiciat alienam, & animo concupiscat: adulteram enim fieri mentem, si vel imaginem voluptatis sibi ipsa depinxerit. Mens est enim profectò, qvæ peccat; qvæ immoderatæ libidinis fructum cogitatione complectitur: in hâc crimen est, in hâc omne delictum. Nam etsi corpus nullâ sit labe maculatum; non constat tamen pudicitiæ ratio, si animus incestus est; nec illibata castitas videri potest, ubi conscientiam cupiditas inqvinavit. Nec verò aliqvis existimet, difficile esse, frenos imponere voluptati, eamqve vagam & errantem, castitatis pudicitiæqve limitibus includere; cùm propositum sit hominibus, eam vincere; ac plurimi beatam, atqve incorruptam corporis integritatem retinuerint; multiqve sint, qvi hoc cœlesti genere vitæ felicissimè perfruantur. Qvod qvidem Deus non ita fieri præcepit, tanqvàm adstringat; qvia generari homines oportet; sed tanqvam sinat. Scit enim, qvantam his affectibus imposuerit necessitatem. Si qvis, hoc, inqvit, facere potuerit, habebit eximiam, incomparabilemqve mercedem. Qvod continentiæ genus qvasi fastigium est, omniumqve consummatio virtutum. Ad qvam siqvis eniti, atqve eluctari potuerit; hunc servum dominus, hunc discipulum magister agnoscet; hic terram triumphabit;

hic

hic erit consimilis Deo, qvi virtutem Dei cepit. Hæc qvidem difficilia videntur; sed de eo loqvimur, cui, calcatis omnibus terrenis, iter in cœlum paratur. Nam qvia virtus in Dei agnitione consistit, omnia gravia sunt, dum ignores; ubi cognoveris, facilia: per ipsas difficultates nobis exeundum est, qvi ad summum bonum tendimus.

CAP. XXIV.

Nec tamen deficiat aliqvis, aut de se ipse desperet; si aut cupiditate victus, aut libidine impulsus, aut errore deceptus, aut vi coactus, ad injustitiæ viam lapsus est. Potest enim reduci, ac liberari; si eum pœniteat actorum; &, ad meliora conversus, satisfaciat Deo: qvod fieri posse, Cicero non putavit; cujus hæc in Academico tertio verba sunt: Qvod si liceret, ut iis, qvi in itinere deerravissent, sic vitam deviam secutos corrigere errorem pœnitendo; felicior esset emendatio temeritatis. Licet planè. nam si liberos nostros, cum delictorum suorum cernimus pœnitere, correctos esse arbitramur; & abdicatos abjectosqve rursus tamen suscipimus, fovemus, amplectimur: cur desperemus, clementiam Dei patris pœnitendo posse placari? Ergo idem Dominus, ac parens indulgentissimus, remissurum se pœnitentibus peccata promittit, & obliteraturum omnes iniqvitates ejus, qvi justitiam denuò cœperit operari. Sicut enim nihil prodest malè viventi ante actæ vitæ probitas; qvia superveniens neqvitia, justitiæ opera delevit: ita nihil officiunt peccata vetera correcto, qvia superveniens justitia, labem vitæ prioris abolevit. Is enim, qvem facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit: ideòqve Græci meliùs, & significantiùs μετάνοιαν dicunt; qvam nos possimus resipiscentiam dicere: resipiscit enim, ac mentem suam qvasi ab insania recipit, qvem errati piget, castigatqve seipsum dementiæ, & confirmat animum suum ad rectiùs vivendum; tum illud ipsum maximè cavet, ne rursus in eosdem laqveos inducatur. Deniqve muta qvoqve animalia, cum fraude capiuntur, si aliqvando se modò in fugam extricaverint, fiunt postmodùm cautiora; vitantqve semper ea omnia, in qvibus dolos insidiasqve senserunt. Sic ho-

minem pœnitentia cautum ac diligentem faciat, ad evitanda peccata, in qvæ ſemel fraude deciderit. Nemo enim poteſt eſſe tàm prudens, tàm circumſpectus, ut non aliqvando labatur. Et iccircò Deus imbecillitatem noſtram ſciens, pro ſua pietate aperuit homini portum ſalutis; ut huic neceſſitati, cui fragilitas noſtra ſubjecta eſt, medicina pœnitentiæ ſubveniret. Ergo, qvicunq; aberravit, referat pedem, ſeqve qvamprimùm recipiat, ac reformet.

Sed revocare gradum, ſuperasq́; evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

Deguſtatis enim malè jucundis voluptatibus, vix divelli ab his poſſunt: faciliùs recta ſeqverentur, ſi earum ſuavitates non attigiſſent. Sed ſi eripiant ſe malæ ſervituti, condonabitur his omnis error, ſi errorem ſuum vitâ meliore correxerint. Nec lucrari ſe qvisqvam putet, ſi delicti conſcium non habebit: ſcit enim ille omnia, in cujus conſpectu vivimus: nec ſi univerſos homines celare poſſumus, Deum poſſumus; cui nihil abſconditum, nihil poteſt eſſe ſecretum: qvod exhortationibus ſuis Seneca mirabili ſententiâ terminavit. Magnum, inqvit, neſcio qvid, majusqve, qvàm cogitari poteſt, Numen eſt; cui vivendo operam damus. Huic nos approbemus. Nam nihil prodeſt incluſa conſcientia; patemus Deo. Qvid veriùs dici poteſt ab eo, qvi Deum noſſet, qvàm dictum eſt ab homine veræ religionis ignaro? nam & majeſtatem Dei expreſſit, majorem eſſe dicendo, qvàm ut eam cogitatio mentis humanæ capere poſſet; & ipſum veritatis attigit fontem, ſentiendo, vitam hominum ſupervacuam non eſſe, ut Epicurei volunt; ſed Deo ab his operam vivendo dari; ſiqvidem juſtè ac piè vixerint. Potuit eſſe verus Dei cultor, ſi qvis illi monſtraſſet: ac contempſiſſet profectò Zenonem, & magiſtrum ſuum Socionem, ſi veræ ſapientiæ ducem nactus eſſet. Huic nos, inqvit, approbemus. Cœleſtis prorſus oratio, niſi antecederet ignorantiæ confeſſio; nihil prodeſt incluſam habere conſcientiam; patemus Deo: nullus ergo mendacio, nullus diſſimulationi locus eſt: qvia parietibus oculi hominum ſubmoventur. Dei autem divinitas nec viſceri-

ſceribus ſubmoveri poteſt, qvò minùs totum hominem perſpiciat, & nôrit. Idem in ejusdem operis primo: Qvid agis, inqvit? qvid machinaris? qvid abſcondis? Cuſtos te tuus ſeqvitur: alium tibi peregrinatio ſubduxit, alium mors, alium valetudo: hæret hic, qvo carere nunqvàm potes. Qvid locum abditum legis, arbitros removes? Putas tibi contigisse, ut oculos omnium effugias demens? Qvid tibi prodeſt non habenti ſcientiam? Non minùs mirabiliter de conſcientia, & Deo Tullius. Meminerit, inqvit, Deum ſe habere teſtem; id eſt (ut ego arbitror) mentem ſuam; qvâ nihil homini dedit Deus ipſe divinius. Item cum de bono, & juſto viro loqveretur. Itaqve talis vir, inqvit, non modò facere, ſed ne cogitare qvidem qvicqvam audebit, qvod non audeat prædicare. Purgemus igitur conſcientiam, qvæ oculis Dei pervia eſt; &, ut ait idem, ſemper ita vivamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur; putemusqve nos momentis omnibus non in aliqvo (ut ille dixit) orbis terræ theatro ab hominibus, ſed deſuper ſpectari ab eo, qvi & judex, & teſtis idem futurus eſt; cui rationem vitæ repoſcenti, actus ſuos inficiari non licebit. Ergò ſatius eſt, aut effugere conſcientiam, aut nos ipſos ultrò aperire animum, & perniciem, reſciſſis vulneribus, effundere; qvibus nemo alius mederi poteſt, niſi ſolus ille, qvi greſſum claudis, viſum cœcis reddidit; maculata membra purgavit; mortuos excitavit. Ille ardorem cupiditatis extinguet; extirpabit libidines; invidiam diſtrahet; iram mitigabit. Ille reddet veram & perpetuam ſanitatem. Appetenda eſt hæc omnibus medicina; qvoniam majori periculo vexatur anima, qvàm corpus; & qvamprimùm latentibus morbis adhibenda curatio eſt. Neqve enim, ſi utatur aliqvis oculorum acie clarâ, membris omnibus integris, firmiſſimâ totius corporis valetudine; tamen eum dixerim ſanum, ſi efferatur irâ; ſuperbiâ tumidus infletur; libidini ſerviat; cupiditatibus inardeſcat: ſed eum potiùs, qvi ad alienam felicitatem non attollat oculos;

 opes

opes non admiretur; alienam mulierem ſanctè videat; nihil omninò appetat, nihil concupiſcat alienum; non invideat ulli; non faſtidiat qvenqvam; ſit humilis, miſericors, beneficus, mitis, humanus; pax in animo ejus perpetua verſetur: ille homo ſanus, ille juſtus, ille perfectus eſt. Qvisqvis igitur his omnibus præceptis cœleſtibus obtemperaverit; hic cultor eſt veri Dei, cujus ſacrificia ſunt, manſvetudo animi, & vita innocens, & actus boni. Qvæ omnia qvi exhibet; toties ſacrificat, qvoties bonum aliqvid, ac pium fecerit. Deus enim deſiderat victimam neqve muti animalis, neqve mortis, ac ſangvinis, ſed hominis & vitæ. Ad qvod ſacrificium neqve verbenis opus eſt, neqve fibris, neqve ceſpitibus, qvæ ſunt utiqve vaniſſima; ſed iis, qvæ de intimo corde proferuntur. Itaqve in aram Dei, qvæ verè maxima eſt, & qvæ in corde hominis collocata, coinqvinari non poteſt ſangvine; juſtitia imponitur, patientia, fides, innocentia, caſtitas, abſtinentia. Hic eſt veriſſimus ritus; hæc illa lex Dei (ut à Cicerone dictum) præclara, & divina; ſemper qvæ recta, & honeſta jubet; vetat prava, & turpia; cui parentem ſanctiſſimæ, ac certiſſimæ legi, juſtè, ac legitimè neceſſe eſt vivere. Cujus legis pauca eqvidem capita poſui; qvòd ſum pollicitus, ea me tantummodò eſſe dicturum, qvæ ſummum faſtigium virtuti & juſtitiæ imponerent. Si qvis volet cætera omnia comprehendere; ex fonte ipſo petat; unde ad hos rivus iſte manavit.

CAP. XXV.

Nunc de ſacrificio ipſo pauca dicemus. Ebur, inqvit Plato, non caſtum donum Deo. Qvid ergo? Picta ſcilicet & terra pretioſa? imò verò non caſtum donum Deo, qvicqvid ſurripi, qvicqvid corrumpi poteſt. Sed ſicut hoc vidit, non oportere viventi offerre aliqvid, qvod ſit ex mortuo corpore; cur illud non vidit, non debere incorporali corporale munus offerri? Qvantò meliùs Seneca, & veriùs? Vultiſne vos, inqvit, Deum cogitare magnum, & placidum; & maje-

ſtate

ſtate leni verendum amicum; & ſemper in proximo? Non immolationibus, & ſangvine multo colendum; (qvæ enim, ex trucidatione immerentium, voluptas eſt?) ſed mente purâ, bono honeſtoqve propoſito. Non templa illi congeſtis in altitudinem ſaxis exſtruenda ſunt: in ſuo cuiqve conſecrandus eſt pectore. Veſtes igitur, gemmas, & cætera, qvæ habentur in pretio; ſi qvis putet Deo cara; is planè, qvid ſit Deus, neſcit; cui putat voluptati eſſe eas res; qvas etiam homo, ſi qvis contempſerit, jure laudabitur. Qvid ergo caſtum, qvid Deo dignum, niſi qvod ipſe in illa divina lege ſua popoſcit? Duo ſunt, qvæ offerri debeant, donum, & ſacrificium; donum in perpetuum; ſacrificium ad tempus. Verum apud iſtos, qvi nullo modo rationem divinitatis intelligunt, donum eſt, qvicqvid auro argentoqve fabricatur; item qvicqvid purpurâ, & ſerico texitur. Sacrificium eſt victima, & qvæcunqve in ara cremantur. Sed utroqve non utitur Deus; qvia & ipſe incorruptus eſt; & illud totum corruptibile. Itaqve Deo utrunqve incorporale offerendum eſt, qvo utitur. Donum eſt integritas animi; ſacrificium, laus, & hymnus. Si enim Deus non videtur; ergo his rebus coli debet, qvæ non videntur. Nulla igitur alia religio eſt vera, niſi qvæ virtute ac juſtitiâ conſtat. Qvomodò autem Deus juſtitiâ hominis utatur, intellectu facile eſt. Si enim juſtus fuerit homo, acceptâ immortalitate, in æternum Deo ſerviet. Homines autem, non niſi ad juſtitiam naſci, cùm Philoſophi veteres, tùm etiam Cic. ſuſpicatur. Differens enim de legibus: Sed omnium, inqvit, qvæ in hominum doctorum diſputatione verſantur, nihil eſt profectò præſtabilius, qvàm planè intelligi nos ad juſtitiam eſſe natos. Id ergo ſolum Deo exhibere, atqve offerre debemus; ad qvod capiendum nos ipſe generavit. Hoc autem duplex ſacrificii genus, qvàm ſit veriſſimum, Triſmegiſtus Hermes idoneus teſtis eſt; qvi nobiſcum, id eſt, cum Prophetis, qvos ſeqvimur, tàm verbis qvàm re congruit; ſicqve de

juſti-

justitia locutus est: Hoc verbum, ô fili, adora, & cole! Cultus autem Dei unus est, malum non esse. Item in illo sermone perfecto: Cùm exaudisset Asclepium qvæ à filio suo, utrum placeret patri ejus, offerri thus, & alios odores ad sacrificium Dei? exclamavit: Benè, benè ominare, ô Asclepi! Est enim maxima impietas, tale qvid de uno illo, ac singulari bono in animum inducere. Hæc & his similia huic non conveniunt. Omnium enim, qvæcunqve sunt, plenus est, & omnium minimè indigens. Nos verò gratias agentes, adoremus. Hujus sacrificium, sola benedictio, rectum est. Verbo ergo sacrificari oportet Deo; siqvidem Deus Verbum est; ut ipse confessus est. Summus igitur colendi Dei ritus est, ex ore justi hominis ad Deum directa laudatio: qvæ tamen ipsa, ut Deo sit accepta, humilitate, & timore, & devotione maxima opus est; ne qvis fortè integritatis, & innocentiæ fiduciam gerens, tumoris & arrogantiæ crimen incurrat; eoqve facto, gratiam virtutis amittat: sed ut sit Deo carus, omniqve maculâ careat; misericordiam Dei semper imploret; nihilqve aliud precetur, nisi peccatis suis veniam, licet nulla sint. Si qvid aliud desideraverit; non est opus dicto, scienti, qvid velimus. Si qvid ei boni evenerit, gratias agat; si qvid mali, satisfaciat, & illud sibi ob peccata sua venisse fateatur; & nihilominùs etiam in malis gratias agat, & in bonis satisfaciat: ut idem sit semper & stabilis, & immutabilis, & inconcussus. Nec tantùm hoc in templo putet sibi esse faciendum, sed & domi, & in ipso etiam cubili suo. Secum deniqve habeat Deum, semper in corde suo consecratum; qvoniam ipse est Dei templum. Qvod si Deo Patri, ac domino hâc assiduitate, hoc obseqvio, hâc devotione servierit; consummata, & perfecta justitia est; qvam qvi tenuerit, hic (ut ante testati sumus) Deo paruit; hic religioni, atqve suo officio satisfecit.

SOLI DEO GLORIA!

SENE-

SENECÆ FLORES CHRISTIANI.

CAP. I.

De peregrinationum ſtudio inutili.

QVid prodeſt mare trajicere, & Urbes mutare, ut effugias vitia, qvibus urgeris? non alibi ſis oportet, ſed alius. Qvid ad rem pertinet, qvos locus peregrinus mores habeat? tuos adferes: nec enim te meliorem faciet, nec ſaniorem. Medicina ergo qværenda eſt, non regio. Fregit aliqvis crus, aut extorſit articulum? non vehiculum navemqve conſcendit, ſed advocat Medicum, ut fracta pars jungatur, ut luxata in locum reponatur. Qvid ergo? animum tot locis fractum & extortum, credis locorum mutatione poſſe ſanari? Tamdiu iſta urgebunt mala, qvàm diu malorum geſtaveris cauſas. Te igitur emenda, onera tibi detrahe, & emenda deſideria!

CAP. II.

De amore ſolitudinis & ſilentii.

Nulla res nos majoribus malis implicat, qvàm qvòd ad rumorem componimur. Alienis perimus exemplis; ſanabimur, ſi modò ſeparemur à cœtu. Qvid tibi potiſſimùm vitandum exiſtimem, qværis? Turbam; argumentum peſſimi, turba eſt. Ego certè confiteor imbecillitatem meam; nunqvàm mores, qvos extuli, refero; aliqvid ex eo, qvod compoſui, turbatur, aliqvid ex his, qvæ fugavi, redit. Inimica eſt multorum converſatio. Nemo non aliqvod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut neſcientibus allinit: utiqve, qvò major eſt populus, cui commiſcemur, hoc periculi plus eſt; ambitioſior redeo, imò verò inhumanior; qvia inter homines fui: neceſſe eſt, aut imiteris eos, aut oderis, utrumqve autem devitan-

dum eſt; ne vel ſimilis malis fias, qvia multi ſunt; nevè inimicus multis, qvia diſſimiles ſunt. Recede in te ipſum, qvantum potes; nihil enim æqvè proderit, qvàm qvieſcere, & minimum cum aliis loqvi, plurimum ſecum. Eſt qvædam dulcedo ſermonis, qvi irrepit & blanditur, & non aliter, qvàm ebrietas, aut amor, ſecretum prodit. Ab homine homini qvotidianum periculum; adverſus hoc te expedi! nullum enim malum freqventius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempeſtas minatur, anteqvàm ſurgat, crepant ædificia, anteqvàm corruant, prænunciat fumus incendium; ſubita eſt ex homine pernicies, & eò diligentiùs tegitur, qvò propiùs accedit. Summa ergo ſummarum eſt; ſolitarium te eſſe jubeo.

CAP. III.

De meditatione mortis.

Vivere in totâ vitâ diſcendum eſt; qvòd magis mirandum eſt, in totâ vitâ diſcendum eſt mori. Tot maximi Viri, relictis omnibus impedimentis, cùm divitiis, officiis, facultatibus renunciaſſent, hoc unum in extremam usq; ætatem egerunt; plures tamen ex his nondum ſe ſcire confeſſi, è vitâ abierunt. Magna res hæc eſt & diu diſcenda, cùm hora illa adveniat inevitabilis, æqvo animo abire. Vivere noluit, qvi mori non vult: vita enim cum exceptione mortis data eſt; ad hanc itur: qvam ideò timere, dementis eſt; qvia certa exſpectantur, dubia metuuntur; mors neceſſitatem æqvam habet & invictam. Qvis qveri poteſt in eâ conditione ſe eſſe, in qvâ nemo non eſt? Tu tamen mortem, ut nunqvàm timeas, ſemper exſpecta. Clementiſſimus portus aliqvando petendus eſt, nunqvàm recuſandus; in qvem ſi qvis intra primos annos delatus eſt, non magis qveri debet, qvàm qvi citò navigavit; alium enim venti ſegnes ludunt ac detinent, & tranqvillitatis lentiſſimo tædio laſſant; alium pertinax flatus celerrimè perfert. Idem nobis eveni-
re pu-

re puta, alios vita velocissimè abduxit, qvò veniendum erat etiam cunctantibus; alios maceravit & coxit. Vis adversus hoc corpus liber esse? tanqvàm migraturus habita. Propone tibi, qvandoq; hoc contubernio carendum, fortior eris ad necessitatem exeundi: nullius rei meditatio tam necessaria est.

CAP. IV.
De utilitate adversitatis.

Qvare multa bonis Viris mala eveniunt? Nihil accidere mali bono Viro potest, omnia adversa exercitationes putat; marcet sine adversario Virtus. Tunc apparet, qvanta sit, qvantumq; valeat, cùm, qvid possit, patientia ostendit. Non vides, qvantò aliter patres, aliter matres indulgent? Illi exercitari jubent liberos ad studia obeunda maturè, feriatis qvoqve diebus non sinunt esse otiosos, & sudorem illis & interdum lacrymas excutiunt. Paternum Deus habet adversus nos animum, & illos fortiùs amat & operibus, doloribus ac damnis exagitat, ut verum colligant robur. Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil unqvam evenit adversi. Qvantô plus erit tormenti, plus erit gloriæ. Calamitas Virtutis occasio est. Hos itaqve Deus, qvos probat, qvos amat, indurat, recognoscit, exercet; eos autem, qvibus indulgere videtur, qvibus parcere, molles venturis malis servat. Qvare Deus optimum qvemqve aut malâ valetudine, aut luctu, aut incommodis afficit? Qvare in castris qvoqve periculosa fortissimis imperantur? dux lectissimos mittit, qvi nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut explorent iter, aut præsidium loco dejiciant. Nemo eorum, qvi exeunt, dicit: malè de me Imperator meruit, sed benè judicavit; idem dicant, qvicunq; jubentur pati. Digni visi sumus Deo, in qvibus experiretur, qvantum humana natura posset pati. Qvid mirum, si durè generosos spiritûs Deus tentat? contemptum periculorum assiduitas dabit. Non est arbor solida, nec fortis, nisi in qvam freqvens ventus incursat; ipsâ enim vexatione

constringitur, & radices certiùs figit. Sic sunt nautica corpora ferendo mari dura: Agricolis manus tritæ, ad excutienda tela militares lacerti valent. Non potest athleta magnos spiritûs ad certamen adferre, qvi nunqvàm sugillatus est. Ille, qvi fudit sangvinem suum, cujus dentes crepuerunt sub pugno, ille, qvi supplantatus adversarium toto tulit corpore, nec projecit animum projectus: qvi qvoties cecidit, fortior resurrexit, cum magna spe descendit ad pugnam. Puta itaqve, Deum dicere: qvid habetis, qvod de me qveri possitis vos, qvibus recta placuerunt? Aliis bona falsa circumdedi auro, illos, argento & ebore adornavi; intus boni nihil est. Isti, qvos pro felicibus aspicitis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecùs culti: vobis dedi bona certa, mansura: qvantò magis versaverit aliqvis & inspexerit, tantò videbit meliora & majora: qvæ permisi vobis metuenda contemnere, cupienda fastidire; non fulgetis extrinsecùs, bona vestra introrsus obversa sunt.

CAP. V.

Contra vanam seculi scientiam.

Qvidam de liberalibus studiis qværendum judicaverunt, an Virum bonum facerent? Ne promittunt qvidem, nec hujus rei scientiam affectant. Grammaticus circa curam sermonis versatur, &, si latiùs evagari vult, circa historias: jam ut longissimè fines suos proferat circa carmina, qvid horum viam ad virtutem sternit? qvid ex his cupiditatem eximit? libidinem frænat? ad Geometriam transeamus & ad Musicam; nihil apud illas invenies, qvod vetet timere, vetet cupere. Qværis, ubi Ulysses erraverit? potiùs, qvàm efficias, ne nos semper erremus. Non vacat audire, utrum inter Italiam & Siciliam jactatus sit? nos animi qvotidiè jactant, & neqvitia in omnia Ulyssis mala impellit. Non deest forma, qvæ solicitet oculos, non hostis; hinc monstra effera, & humano cruore gaudentia; hinc insidiosa blandimenta auri-
um;

um; hinc naufragia, & tot varietates malorum. Qvid inqviris, an Penelope impudica fuerit? doce me, qvid ſit pudicitia? & qvantum in eâ bonum? Ad Muſicam tranſeo, doces me, qvomodò inter ſe acutæ & graves voces conſonent? qvomodò numerorum diſparem reddentium ſonum fiat concordia? fac potiùs, qvomodò animus conſonet meus ſecum. Monſtras mihi, qvi ſint modi flebiles; monſtra potiùs, qvomodò inter adverſa non emittam vocem flebilem. Metiri me Geometres docet latifundia; potiùs doceat, qvomodò metiar, qvantum homini ſit ſatis. Numerare me docet Arithmetica, & avaritiæ commendat digitos; potiùs doceat, nihil ad rem pertinere has computationes: non eſſe feliciorem cujus patrimonium tabularios laſſet; imò qvàm ſupervacanea poſſideat, qvi infeliciſſimus futurus eſt, ſi, qvantum habeat, per ſe computare cogatur. Qvid enim prodeſt, ſcire agellum in partes dividere; ſi neſcio cum fratre dividere? qvid prodeſt, colligere ſubtiliter pedes jugeri, & comprehendere etiam, ſi qvid decempedam effugit; ſi triſtem me facit vicinus potens? doces me, qvomodò nihil perdam de finibus meis; & ego diſcere volo, qvomodò totos hilaris amittam. Paterno agro, inqvis, & materno expellor. Qvid? ante avum tuum qvis iſtum agrum tenuit? non dominus, ſed colonus intrâſti. Cujus colonus es? ſi benè tecum agitur, hæredis. Negant jurisconſulti qvicqvam uſu capi, qvod publicum eſt: publicum eſt hoc, qvod tenes, & qvidem generis humani. O egregiam artem! ſcis rotunda metiri, in qvadratum redigis qvamcunqve formam; nihil eſt qvod in menſuram tuam non cadat. Si artifex es, metire hominis animum; dic qvàm magnus ſit, qvàm puſillus? Scis, qvæ recta ſit linea; qvid tibi prodeſt, ſi, qvid in vitâ ſit rectum, ignoras? Solæ artes, liberales ſunt, imò (ut dicam liberiùs,) liberæ, qvibus curæ Virtus eſt: res trahit, non verba; & neſcio, an certior memoria ſit, qvæ nullum extra ſe ſubſidium habet. Tota rerum natura umbra eſt, aut inanis, aut fallax.

CAP. VI.

De Cognitione sui.

Si perpendere te voles, intùs te ipse considera. Eqvum empturus, jubes solvi stratum, detrahis vestimenta vænalibus, neqvà vitia corporis lateant, hominem involutum æstimas? vides illum insigni capitis decorum; si vis illum æstimare, totumqve scire, qvalis sit? fasciam solve, multum mali sub illâ latet. Illud præcipuè nos impedit, qvòd citò nobis placemus, si invenimus, qvi bonos nos dicat, qvi prudentes, qvi sanctos; agnoscimus, cùm sciamus, illos sæpè multa mentiri. Seqvitur itaqve, ut ideò mutari nolimus; qvia nos optimos esse credimus. Alexander, cùm in Indiâ vagaretur & gentes bello vastaret, in obsidione cujusdam Urbis sagittâ ictus, diu perstitit in re, & incepta agere perseveravit; deindè, cùm dolor excresceret, coactus absistere, omnes, inqvit, jurant me Jovis filium esse, sed hoc vulnus, hominem me esse, clamat. Idem faciamus, cum qvenqvam adulatio infatuat; dicamus: Vos qvidem prudentem me esse dicitis, ego autem video, qvàm multa inutilia concupiscam, nocitura optem. Rem dicam: Bona Conscientia testis est. O te miserum, si contemnis hunc testem!

CAP. VII.

De Examine Conscientiæ qvotidiano.

Animus qvotidiè ad reddendam rationem vocandus est. Utor hâc potestate, & qvotidiè apud me causam dico, cum sublatum est è conspectu lumen; totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior; qvod hodiè malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qvâ parte melior es? Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo; qvare enim qvicqvam ex erroribus meis timeam, cùm possim dicere: vide ne istud ampliùs facias, nunc tibi ignosco. Qvid ergo pulchriùs hac consvetudine excutiendi totum diem? qvalis me somnus post recognitionem sui seqvitur, qvàm tranqvillus, ac liber? cùm aut lau-

laudatus est animus, aut admonitus: moderarior erit, qvi sciet, sibi qvotidiè ad judicem esse veniendum.

CAP. VIII.

De affectibus inordinatis superandis.

Imbecillis primò omnis affectus; non obtinebis ut desinat, si incipere permiseris, deinde ipse se concitat, & vires, dum procedit, parat, excluditur faciliùs, qvàm expellitur. Qvis negat, omnes affectus à naturali principio fluere? Curam nostri natura mandavit; sed huic ubi nimium indulseris, vitium est. Voluntatem natura necessariis rebus admiscuit, ut non illam peteremus; sed ut ea, sine qvibus vivere non possumus, gratiora nobis illius faceret accessio: si suo jure veniat, luxuria est: ergo intrantibus resistamus, qvia faciliùs non recipiuntur, qvàm exeunt. Qvantum possumus nos, à lubrico recedamus, in sicco qvoqve parùm firmiter stamus. Occurres mihi hoc loco illâ voce publicâ: Homunciones sumus; omnia nobis negare non possumus; concupiscemus temperatè: imò aliud est in te, vitia nostra qvia amamus, defendimus, & malumus excusare illa, qvàm excutere. Vires nostras colligamus, ac totas pro nobis non contra nos concitemus: nolle in causâ est, non posse prætenditur. Omnes præoccupati sumus, virtùtes discere, vitia dediscere; eò majore animo debemus ad nostri emendationem accedere. Irritamenta vitiorum qvàm longissimè fugiamus. Indurandus est animus, & à blandimentis voluptatum procul abstrahendus. Militandum est nobis, & qvidem genere militiæ, qvo nunqvàm qvies, nunqvàm otium datur. Perseqvere vitia sine fine, sine modo; nam illis qvoqve nec finis, nec modus est. Projice, qvæcunqve cor tuum laniant; qvæ, si aliter extrahi neqvirent, cor ipsum cum illis evellendum erat. Voluptates præcipuè inimicissimas habe, latronum more, qvos Philistas Ægyptii vocant, in hoc nos amplectuntur, ut jugulent. Si voluptati cessero, cedendum est & dolori.

Hoc

Hoc durum & laboriosum negotium nobis datum esse scias, scilicet imus per obstantia. Itaqve pugnemus, aliqvorum imploremus auxilium. Qvi deponere vult desideria rerum omnium, qvantum cupiditate flagravit, & oculos, & aures ab his, qvæ reliqvit avertat; citò rebellat affectus, qvocunqve se verterit, aliqvod pretium inveniet occupationis suæ. Ambitio promittit plausum & ex hoc potentiam; luxuria varias & multas voluptates: avaritia pecuniam: mercede te vitia solicitant, hîc tibi gratis vivendum est? vix effici toto sæculo potest, ut vitia tàm longâ licentiâ tumida subigantur, & jugum accipiant. Inæstimabile bonum est; Suum fieri.

CAP. IX.

Qvomodo cum omnibus pax & amicitia conservanda sit.

Consortium rerum omnium inter nos facit amicitia. Non potest qvisqvam beatè degere, qvi se tantùm intuetur, qvi omnia ad utilitates suas convertit: alteri vivas oportet, si vis tibi vivere. Hæc societas diligenter & sanctè observanda est; qvæ judicat esse aliqvod commune jus generis humani, plurimùm qvoqve ad illam interiorem Societatem amicitiæ colendam proficit. Qvemadmodum stultus est, qvi, eqvum empturus, non ipsum inspicit, sed stratum ejus, & frænos; sic stultissimus est, qvi hominem, aut ex veste, aut ex conditione, qvæ vestis modo nobis circumdata est, æstimat. Servus aliqvis est; at fortassè liber animo. Servus est, hoc illi non nocebit; ostende, qvis non sit. Hæc præcepti mei summa est: sic cum inferiore vivas, qvemadmodùm Superiorem tecum velis vivere.

CAP. X.

De fine miseriæ humanæ.

Qvid ista sic diligis, qvasi tua? alia origo nos manet, alius rerum status; propterea intrepidus horam illam decretoriam prospice! qvicqvid circa te jacet rerum, tanqvàm hospi-

hoſpitalis loci ſarcinas ſpecta: tranſeundum eſt: excipit Natura redeuntem, ſicut intrantem. Qvisqvis exit in lucem, juſſus eſt lacte, & panno eſſe contentus; non licet plus efferre qvàm intuleris: detrahentur tibi hæc circumjecta, noviſſimum velamentum tui cutis, detrahetur caro, & ſuffuſus ſangvis diſcurrensqve per totum, detrahentur oſſa, nervíqve fundamenta fluidorum ac labentium. Dies iſte, qvem tanqvam extremum reformidas, æterni Natalis eſt: gemis & ploras, hoc ipſum naſcentis eſt. Qvid contriſtaris? ita ſolet fieri. Pereunt ſæpè velamenta naſcentium, iſtis opertus es; veniet, qvi revelet dies, & ex contubernio fædi, atq; olidi ventris educat. Jam hinc altius aliqvid ſublimiusqve meditare: aliqvando tibi caligo iſta diſcutietur: nulla umbra ſerenum turbabit, æqvaliter ſplendebit omne Cœli latus: dies & nox aëris infimi vices ſunt. Tunc in tenebris vixiſſe te dices, cùm totam lucem totus aſpexeris: qvid tibi videbitur divina lux, cùm illam ſuo loco videris? Hæc cogitatio nihil ſordidum animo ſubſidere ſinit, nihil humile, nihil crudele: qvi æternitatem mente concipit, nullos horret exercitus, non terretur tubâ, nullis ad timorem minis agitur.

CAP. XI.

De familiaritate proborum appetendâ, malorum fugiendâ.

Proſunt inter ſe boni; exercent enim virtutes, & Sapientiam in ſuo ſtatu continent. Deſiderat uterqve aliqvem cum qvo conferat, cum qvo qværat: peritos luctandi uſus exercet, muſicum, qvi paria didicit, monet: opus eſt & ſapienti agitatione virtutum. Malus malè nocet; facit qvoqve pejorem, metum, iram incitando, voluptates laudando, & maximè laborant mali, ubi plurimum vitia miſcuére, & in unum collata, neqvitia eſt; ergò è contrario bonus bono proderit. Qvomodo? inqvis. Ex conſpectu mutuæ tranqvillitatis creſcet utriusqve lætitia; præterea ſecundùm naturam eſt ami-

corum actu, ut ſuo, proprioqve lætari. nam ſi hoc fecerimus, nec virtus qvidem, nobis qvæ in exercendo ſenſu eſt, permanebit. Virtus autem ſuadet, in futurum conſulere, deliberare & intendere animum: faciliùs intendet explicabitqve, qvi aliqvem ſibi aſſumſerit: qværit itaqve aut perfectum Virum aut proficientem, ac vicinum perfecto. Ajunt, homines, plus in alieno negotio videre; ſic qvædam ſunt, qvæ etiam ſapientes in alio, qvàm in ſe diligentiùs vident. Præterea illud, qvod dulciſſimum & honeſtiſſimum, idem velle atqve idem nolle, ſapiens ſapienti præſtabit, egregium opus pari jugo ducet: qvin etiam vel occurſus ipſe ſapientis juvat, & eſt aliqvod, qvod ex magno Viro, vel tacente, proficias; nec tibi facilè dixerim, qvemadmodùm proſit; ſic, ut intelligam, illud profuiſſe. Minuta qvædam animalia, cùm mordent, non ſentiuntur; adeò tenuis illis, & fallens in periculum vis eſt; tumor indicat morſum, & ipſo tumore nullum vulnus apparet. Idem tibi in converſatione bonorum Virorum eveniet; non deprehendes, qvemadmodùm, & qvando tibi proſit, profuiſſe deprehendes; nunqvàm enim boni opera inutilis eſt; nunqvàm ejus, licet obſcura Virtus latet, ſed mittit ſui ſigna. Qvid eſt ergò, qvare ulla verba coram amico meo retraham? qvid eſt, qvare me coram illo non putem ſolum? Qvidam, qvæ tantùm amicis committenda ſunt, obviis narrant, & in qvaslibet aures, qvicqvid illos urit, exonerant: qvidam etiam rurſus cariſſimorum conſcientiam reformidant; &, ſi poſſunt, ne ſibi qvidem crediturì, interiùs premunt omne ſecretum. Neutrum faciendum eſt, utrumqve enim vitium eſt, & omnibus credere, & nulli. Qvantum bonum eſt, ubi ſunt præparata pectora, in qvæ tutum omne ſecretum deſcendat? qvorum conſcientiam minùs, qvàm tuam timeas? qvorum ſermo ſolicitudinem leniat? ſententia conſilium expediat? hilaritas triſtitiam diſſipet? conſpectus ipſe delectet? qvos tamen, qvantum fieri poterit, vacuos à cupiditatibus eligemus. Sunt enim qvidam,

qvi

qvi non tantùm verba, ſed vitia geſtant; horum ſermo multùm nocet, nam etiamſi non ſtatim proficit, ſemina in animo relinqvit, ſeqviturqve nos, cùm ab illis diſceſſerimus, reſurrecturum poſteà malum. Qvemadmodùm, qvi audierunt ſymphoniam, ferunt ſecum in auribus modulationem; illa ad dulcedinem cantumqve cogit, actiones impedit, nec ad ſeria patitur intendi; ſic ſermo prava laudantium diutiùs hæret, qvàm auditur, nec facilè eſt, animo dulcem ſonum excutere, proſeqviturqve & durat, & ex intervallo recurrit. Ideoqve claudendæ ſunt aures malis vocibus, & qvidem primis; nam cum initium fecerunt, admiſſæqve ſunt; plus audent, inde ad hæc pervenitur verba. Virtus verborum inanis crepitus eſt, una felicitas eſt bonæ vitæ, facere omnia liberè, hoc eſt vivere, hoc eſt mortalem eſſe: hæ voces non aliter fugiendæ ſunt, qvàm illæ, qvas Ulyſſes, niſi alligatus, prætervehi noluit: idem poſſunt, abducunt à patria, à Virtutibus, & in turpem vitam miſerè illidunt: non eſt iſtud vivere. Inter cauſſas malorum noſtrorum eſt, qvod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, ſed conſvetudine abducimur, qvod ſi pauci facerent, nollemus imitari, cum plures facere cœperunt, qvaſi honeſtius ſit, qvia freqventiùs; ſeqvimur, & recti apud nos locum tenet error, ubi eſt publicus.

CAP. XII.

De regimine ſui ipſius.

Omnia licet foris reſonent, dum intus nihil tumultus; dum inter ſe non rixentur cupiditas & timor, nec altera alteram vexet. nam qvid prodeſt totius regionis ſilentium, ſi affectus fremunt? Si animus obſtrepit? ideò ille curetur, ab illo ſenſus, ab illo verba exeunt, ab illo nobis eſt habitus, vultus, inceſſus; ſi ille procubuit, & cetera ſeqvuntur ruinam: rege incolumi ſpes omnibus una eſt, amiſſo rupêre fidem. Rex eſt animus noſter, hoc incolumi, cetera manent in officio;

cio; parent, obtemperant, cùm ille paululum vacillavit, ſimul titubant. Animus noſter modò Rex eſt, modo Tyrannus. Rex cum honeſta intuetur, nihil imperat turpe, nihil ſordidum; ubi verò impotens, cupidus, delicatus eſt, tranſit in nomen deteſtabile ac dirum, & fit Tyrannus. Tunc illum excipiunt affectus impotentes, & inſtant, qvi initio qvidem gaudent, ut ſolet populus fruſtra plenus nociturâ largitione: hujus ergo compeſcenda eſt ſeditio, & ideò ad rerum actus exercitandi, & tractatione bonarum artium occupandi ſumus, qvoties nos mala habet inertia, ſui impatiens. Magni Imperatores, cum malè parere militem vident, aliqvo labore compeſcunt, & expeditiores detinent; nunqvàm vacat laſcivire diſtrictis: opus eſt aliqvô, ad qvem mores noſtri ſe erigant; niſi ad regulam, prava non corriges.

CAP. XIII.

De Contemplatione rerum Cœleſtium.

Animus noſter, gravi ſarcinâ preſſus, explicari cupit, & reverti ad illa qvorum fuit. nam corpus hoc animi pœna eſt, ac pondus; premente illo urgetur, in vinculis eſt, niſi ſe à terrenis dimiſerit ad divina. Hæc libertas ejus eſt, hæc evagatio, ſubducit interim ſe cuſtodiæ, qvâ tenetur, & Cœlo ſe reficit. Qvemadmodùm artifices ex alicujus rei ſubtilioris intenſione, qvæ oculos defatigat, ſi malignum, & non præclarum lumen habent, in publicum prodeunt, & in aliqvâ regione ad populi otium dedicata oculos liberâ luce delectant; ſic animus in hoc triſti & obſcuro domicilio cluſus, qvoties poteſt, apertum petit, & in contemplatione reqvieſcit. Ego non qværam qvis ſit hujus mundi artifex? unde tanta lux fundatur? ego iſta non qværam? ego neſciam, unde deſcenderim? neſciam, qvò hinc iturus ſim? qvæ ſedes exſpectet animam legibus humanæ ſervitutis ſolutam? Vetas me Cœlo intereſſe? Major ſum, & ad majora genitus, qvàm ut mancipium ſim mei corporis; qvod eqvidem non aliter a-

ſpicio, qvàm vinculum libertati meæ circumdatum. Contemptus corporis certa libertas eſt; ſerviant ergò dereriora melioribus: fortes ſimus adverſus fortuita; non contremiſcamus injurias, non vincula, non egeſtatem, non vulnera. Mors qvid eſt? aut finis eſt, aut tranſitus: nec deſinere, nec tranſire timeo; qvia nusqvam tàm anguſtè ero.

CAP. XIV.
De Patientiâ in adverſis.

Qværis an omne bonum optabile ſit? Si bonum eſt, inqvis, fortiter torqveri & magno animo uri, & patienter ægrotare; ſeqvitur, ut iſta optabilia ſint. Nihil autem ex his video votô dignum; neminem certè ſcio adhuc eo nomine votum ſolviſſe, qvòd flagellis cæſus eſſet, aut eqvuleo longior factus: diſtingve iſta, & invenies, in his eſſe aliqvid optandum: tormenta à me abeſſe velim, ſed, ſi ſuſtinenda fuerint, ut me in illis fortiter & animosè geram, curabo. Non ſum tàm demens, ut ægrotare cupiam; ſed ſi ægrotandum fuerit, ut nihil intemperanter, nihil effæminatè agam, optabo. Ita non incommoda optabilia ſunt, ſed Virtus, qvà perferuntur, incommoda. Nihil habere, ad qvod exciteris; cujus denunciatione & incurſu firmitatem animi tui tentes, ſed in otio inconcuſſo jacere, non eſt tranqvillitas, malitia eſt. Imperfectis adhuc interſcinditur lætitia. Sapientis verò gaudium contexitur, nullaqve rumpitur fortunâ, ſemper & ubiq; tranqvillum eſt. Vidiſti aliqvando canem miſſa à domino fruſta carnis aperto ore captantem? qvicqvid excepit, protinùs integrum devorat, & ſemper ad ſpem futuri hiat. Idem evenit nobis, qvicqvid exſpectantibus fortuna projecit, id ſine ullâ voluptate demittimus, ſtatim ad alterius rapinam arrecti & attenti. Hoc Sapienti non evenit; credamns igitur pulcherrimum iter monſtranti & clamanti: hâc itur ad aſtra, hàc ſecundum Temperantiam, hàc, ſecundum Fortitudinem. Miraris hominem ad Superos ire? Deus ad homines venit; imò

imò (qvod propiùs est) in homines venit. Nulla sine Deo mens bona est. Divina semina in humanis corporibus dispersa sunt; qvæ si bonus cultor excipit, paria his ex qvibus orta sunt, resurgunt: si malus, non aliter, qvàm humus sterilis ac palustris necat, ac deindè creat purgamenta pro frugibus.

CAP. XV.

De Brevitate vitæ.

Nemo tàm imperitus est, ut nesciat, sibi qvandoqve moriendum; tamen cùm propè accesserit, tergiversatur, tremit, plorat. Nonnè tibi videtur stultissimus omnium, qvi fleverit, qvòd ante annos mille non vixerat? æqvè stultus est, qvi flet, qvòd post annos mille non vivet. Hæc paria sunt, non eris, nec fuisti, utrumqve tempus alienum est. In hoc punctum conjectus es, qvod, ut extendas, qvousqve extendes? qvid fles? qvid optas? perdis operam; eô ibis, qvò omnia ibunt. Qvid tibi novum est? ad hanc legem natus es, hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc majoribus, hoc omnibus ante te, hoc omnib. post te. Series invicta & nullà mutabilis ope illigat, ac trahit cuncta. Nullum sine exitu iter. Infelix servis hominibus, servis rebus; nam vita, si moriendi virtus abest, servitus est. Qvomodò fabula, sic vita; non qvàm diu, sed qvàm benè acta sit, refert. Nihil ad rem pertinet, qvo loco desinas; qvocunqve voles, desine, tantùm bonam clausulam impone. Hoc deniqve tibi circa diem mortis præsta, moriantur ante te vitia; dimitte voluptates turbidas, levandas magno. Qvibusdam remedia monstranda sunt, qvibusdam inculcanda. Nunqvàm nimis dicitur, qvod nunqvàm satis discitur. Ego certè velut appropinqvet experimentum, & ille laturus sententiam de omnibus annis meis dies venerit, ita me observo, & alloqvor: ille dies judicaturus est, utrum loqvar fortia, an sentiam? nunqvid simulatio fuerit? Remove studia, totam vitam pertracta, mors de te pronunciatura

ciatura eſt. Ita dico, diſputationes & literata colloqvia, & ex præceptis Sapientium verba collecta, & eruditus ſermo non oſtendunt verum robur animi, eſt enim oratio etiam timidiſſimis audax. Qvid egeris, tunc apparebit, cùm animam ages. Accipio patienter conditionem humanam, non reformido judicium. Juniores, qvid refert? non dinumerantur anni. Incertum eſt, qvo te loco mors exſpectat; itaqve tu illam omni loco exſpecta. Semper diſcendum eſt; qvod an ſciamus, experiri non poſſumus. Qvi mori diſcit, ſervire dediſcit. Una eſt catena, qvæ nos alligatos habet, amor vitæ, qvi, ut non eſt abjiciendus, ita minuendus eſt; ut, ſi qvando res exigit, nihil nos detineat, qvò minus parati ſimus, qvod qvandoqve faciendum eſt, ſtatim facere. Moleſtum eſt, inqvis, mortem ante oculos habere: primùm iſta tàm juveni ante oculos eſſe debet, qvàm ſeni.

CAP. XVI.

De deſiderio vitæ melioris, & hujus vitæ anguſtiis, & mutabilitate.

Vivere omnes beatè volunt; ſed ad providendum qvid ſit, qvod beatam vitam efficiat, caligant. Proponendum itaqve eſt primùm, qvid ſit, qvod appetamus? tunc circumſpiciendum eſt, qva contendere eò poſſimus, intellecturi in ipſo itinere, ſi modò rectum erit, qvantum qvotidie proficiamus, qvantoqve propiùs ab eo ſimus, ad qvod nos cupiditas impellit. Nihil ergò magis præſtandum eſt, qvàm ne, pecorum ritu, ſeqvamur antecedentium gregem; pergentes, non qvò eundum eſt, ſed qvo itur. Verſat nos & præcipitat traditus per manus error, alienisqve perimus exemplis. Exurge modò, & te qvoqve dignum finge Deo! finges autem non auro & argento; non poteſt ex hac materiâ imago Deo ſimilis exprimi. In hac vitâ nunqvàm ſtabili conſiſtimus loco; hìc deprimitur qvis alternis, & extollitur, ac modò in Cœlum levatur, modò in terram defertur. Pendemus

mus & fluctuamur, & alter in alterum illidimur, & aliqvando naufragium facimus, ſemper timemus. In hoc tam procelloſo, & in omnes tempeſtates expoſito mari navigantibus nullus portus eſt, niſi mortis. Omnes agedum circumſpice mortales, larga ubiqve flendi, & aſſidua materia: alium ambitio nunqvam qvietum ſolicitat, alium ad qvotidianum opus laborioſa egeſtas vocat; illius divitias, qvas optavit, metuit, & voto laborat ſuo: alium ſolicitudo, alium labor torqvet; hic habere ſe dolet liberos, hic perdidiſſe: lacrymæ nobis deerunt, anteqvam cauſæ dolendi. Non vides, qvalem vitam nobis rerum natura permiſerit? qvæ primum naſcentium hominum fletum eſſe voluit. Hoc principio edimur, huic omnis ſeqventium annorum ordo conſentit; ſic vitam agimus. Non videmus, qvàm multa nos exagitent incommoda? qvàm malè nobis conveniat hoc corpus? nunc de capite, nunc de ventre, nunc de pectore aut faucibus qverimur; aliàs nervi, aliàs pedes nos vexant: nunc dejectio, nunc deſtillatio; aliqvando deeſt ſangvis, aliqvando ſupereſt: hinc atqve illinc tentamur & expellimur; hoc evenire ſolet, in alieno habitantibus. At nos corpus tàm turpe ſortiti nihilominùs alterna proponimus; &, in qvantum poteſt ætas humana protendi, tantum ſpe occupamus. Nihil ſatis eſt morituris, imò morientibus; qvotidie enim propiùs ab ultimo ſtamus; & illò, unde nobis cadendum, hora nos omnis impellit. Corpora noſtra rapiuntur, fluminum more: qvicqvid vides, currit cum tempore: nihil ex his, qvæ videmus, manet. Ego ipſe, dum loqvor, mutari iſta, mutatus ſum; ideò admiror dementiam noſtram, qvòd tantopère amamus rem fugaciſſimam; cùm omne momentum mors prioris habitus ſit. Vis tu timere, ne ſemel fiat qvod qvotidiè fit? Si velis credere, altiùs veritatem intuere. Vita ſupplicium eſt: qvàm multiformes ſumus! modò frugi & graves, modò prodigi & vani: mutamus ſubinde perſonam, & contrariam ei ſumimus, qvam exuimus. De aliqvo, qvem vidi heri, meritò dicere

cere potes: hic qvis eſt? tanta mutatio eſt. Propterea hoc à te exigo, ut, qvalem inſtitueris te præſtare, talem usqve ad finem effice. Cogita, qvantæ celeritati additurus fueris, ſi à tergo hoſtis inſtaret: ſi eqvitem adventare ſuſpicareris, ac fugientium premere veſtigia. Fit hoc; premeris, accelera & evade; produc te in tutum, & ſubinde conſidera, qvàm pulchra res ſit, bene vitam conſummare. O qvando videbis illud tempus, qvo ſcies tempus ad te non pertinere! tranqvillus placidusqve eris, & craſtini negligens, & in ſummâ tui ſatietate.

CAP. XVII.

De Indifferentiâ animi tàm in proſperis, qvàm adverſis.

Non eſt delicata res, vivere. Longam viam ingreſſus es? & labaris oportet, & erigaris, cadas & laſſeris, per hujusmodi offenſas emetiendum eſt confragoſum hoc iter; ubi

Luctus & ultrices poſuêre cubilia curæ:
Pallentesq; habitant morbi, triſtisq; ſenectus.

In hoc contubernio vita degenda eſt: effugere iſta non potes, contemnere potes; contemnes autem, ſi ſæpè cogitaveris, & futura præſumpſeris. Nemo non fortiùs ad id, cui ſe diu compoſuerat, acceſſit; imò duriùs qvoq;, ſi præmeditata erant, obſtitit. At contra imparatus etiam leviſſima expavit; & qvoniam omnia novitate graviora ſunt, hæc cogitatio aſſidua præſtabit, ut nulli malo ſis tyro. Nihil meremur eorum, ad qvæ nati ſumus; qvæ ideò nulli qverenda, qvia paria ſunt: omnibus ita dico, paria ſunt, nam etiam qvòd effugit aliqvis, pati potuit; æqvum autem jus eſt, non qvo omnes uſi ſunt, ſed qvod omnibus latum eſt. Imperetur æqvitas animo, & ſine qverelâ mortalitatis tributa pendamus. Hyems frigora adducit, algendum eſt: æſtas calores refert, æſtuandum eſt: & fera nobis aliqvo modo occurret, & homo pernicioſior feris omnibus: alium aqva, alium ignis eripiet,

hanc rerum conditionem mutare non possumus. Optimum est pati, qvod emendare non possis; & Deum comitari, sine murmuratione; qvo auctore cuncta proveniunt. Malus miles est, qvi Imperatorem gemens seqvitur. Hic est magnus animus, qvi se Deo tradidit, at contra, ille pusillus & degener, qvi obluctatur, & Deum mavult emendare, qvàm se. Itaqve assiduè cogitemus, tàm de nostra, qvàm omnium, qvos diligimus, mortalitate. Imparatum me subitò fortuna percussit; nunc cogito omnia, & mortalia esse, & incerta: lege mortali hodiè fieri potest, qvicqvid unqvàm potest.

CAP. XVIII.

De non attrahendo sibi res exteriores.

Sua satiùs est mala, qvàm aliena tractare; & videre, qvàm multarum rerum candidatus sit, & non suffragari. Hoc est egregium, hoc securum ac liberum, nihil petere, & tota Fortunæ Comitia transire. Licet ergò hanc semper integram egerere materiam circumspicientibus, tot millia hominum inqvieta; qvi, ut aliqvid pestiferi conseqvantur, per mala nituntur in malum, petuntqve mox fugienda, aut etiam fastidienda; cui enim assecuto satis fuit, qvod optandi nimium videbatur? Tu ista credis excelsa, qvia longè es ab eis, ei verò, qvi ad illa pervenit, humilia sunt; mentior, nisi adhuc qværat ascendere. Istud, qvod tu summum putas, gradus est; omnes autem malè habet ignorantia veri, tanqvàm ad bona feruntur, decepti rumoribus; deinde mala esse, aut inania, aut minora, qvàm speraverint adepti, vident, minaturqve pars major ex intervallo fallentia.

CAP. XIX.

De pace internâ acqvirendâ.

Animum debes mutare, non Cœlum; licet vastum trajeceris mare, vitia seqventur te, qvocunqve perveneris. Qvid mira-

miraris, nihil tibi peregrinationes prodeſſe, cùm te circumferas? premit te eadem cauſſa, qvæ expulit. Qvid terrarum novitas juvare poteſt? qvid cognitio Urbium aut locorum? in irritum cedit iſta jactatio. Qvicqvid facis, contra te facis, & motu ipſo noces tibi; ægrum enim concutis. Iſtud exemeris malum, omnis mutatio loci jucunda fiet: in ultimas expellaris terras licebit, in qvolibet Barbariæ angulo colloceris, hoſpitalis illa tibi, qvaliscunqve terra, erit. Magis, qvis venerit, qvàm qvò? intereſt. Non peregrinaris, ſed erras, & ageris, ac locum ex loco mutas; cùm illud, qvod qværis, benè vivere, omni loco poſitum ſit. Bona Conſcientia turbam advocat, mala etiam in ſolitudine anxia eſt, atq; ſolicita. Si honeſtum eſt, qvod facis, omnes ſciant: ſi turpe, qvid refert, neminem ſcire, cùm tu ſcias? Nunqvid tam turbidum fieri poteſt, qvàm eſt forum? ibi qvoqve licet qvietè vivere, ſi neceſſe ſit; ſed ſi liceat ſe diſponere, conſpectum qvoqve, & viciniam fori procul fugiam. nam ut loca gravia etiam firmiſſimam valetudinem tentant; ita qvoqve bonæ menti, necdum adhuc perfectæ & convaleſcenti, ſunt aliqva parùm ſalubria. Ideò, qvantum potes, teipſum coargue, inqvire in te, accuſatoris primùm partibus fungere, deindè judicis, noviſſimè deprecatoris, aliqvando te offende. Ego, ubicunqve ſum, meus ſum; rebus non me trado, ſed commodo, nec conſector temporis perdendi cauſſas; &, qvocunqve conſtitutus loco, ibi cogitationes meas tracto, & aliqvid in mente ſalutare verſo.

CAP. XX.

Virtus ſola in hac vitâ beatum reddit.

Si qvis omnia habet, valetudinem, divitias, imagines multas, freqvens atrium, ſed ex confeſſo malus eſt, improbabis illum. Item, ſi qvis nihil illorum, qvæ retuli, habeat; deficiatur pecuniâ, clientumq; turbâ, nobilitate, & avorum proavorumqve ſerie; ſed ex confeſſo bonus ſit, probabis illum.

Ergo eſt omne bonum hominis; qvod qvi habet, etiamſi aliis deſtituatur, laudandus eſt; qvod qvi non habet, in omnium aliorum copiâ damnatur & rejicitur. Qvæ conditio rerum eadem, & hominum eſt: navis bona dicitur, non qvæ pretioſis coloribus picta; nec, cui argenteum roſtrum eſt; nec, cujus tutela ebore cælata eſt; nec, qvæ fiſcis, ac opibus regiis preſſa eſt: ſed ſtabilis ac firma, & juncturis aqvam excludentibus ſpiſſa, ad ferendam maris injuriam ſolida, gubernaculo parens, velox, & non ſentiens ventum. Gladium bonum dices, non cui deauratus eſt baltheus, nec cui vagina gemmis diſtinguitur; ſed cui ad ſecandum ſubtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. Regula, non qvàm formoſa, ſed qvàm recta ſit, qværitur: eò qvodq; laudatur, cui comparatur, qvod illi proprium eſt. Ergò in homine qvoqve nihil ad rem pertinet, qvantum aret, qvantum fæneret, à qvàm multis ſalutetur, qvàm pretioſo incumbat lecto, qvàm pellucido bibat poculo: ſed qvàm bonus ſit; bonus autem eſt, ſi ratio recta & explicita eſt: hæc vocatur Virtus: hoc eſt honeſtum & unicum hominis bonum, nam cùm ſola ratio perficiat hominem, ſola ratio perfecta beatum facit: hoc autem unum hominis bonum eſt, qvo uno beatus efficitur; cetera levia, mutabilia ſunt. Nemo gloriari, niſi ſuo debet: vitem laudamus, ſi fructu palmites onerat; ſi ipſa pondera ad terram eorum, qvæ tulit adminiculo, deducit. num qvis huic illam præferret vitem, cui aureæ uvæ, aurea folia dependerent? propria virtus in vite eſt fertilitas: in homine qvoqve id laudandum eſt, qvod ipſius eſt. Familiam formoſam habet, & domum pulchram, multùm ſerit, multum fænerat; nihil horum in ipſo eſt, ſed circa ipſum: lauda in ipſo, qvod nec eripi poteſt, nec dari. Qvod proprium hominis eſt, qværis, qvid ſit? animus & ratio in homine perfecta; rationale enim animal eſt homo: conſummatur itaqve ejus bonum, ſi id adimplevit, cui naſcitur. Qvid eſt autem, qvod ab eo Ratio exigit? rem facillimam: ſecundùm

naturam

naturam vivere; ſed hanc difficilem facit communis inſania. In vitia alter alterum trudimus: qvomodò autem ad ſalutem revocari poſſunt, qvos nemo retinet, populus impellit? Nemo ex iſtis, qvos purpuratos vides, felix eſt; non magis qvàm ex illis, qvibus Sceptrum & chlamydem in ſcenâ fabulæ, aſſignant; cum præſente populo elati inceſsére, & cothurnati ſimul exierunt, excalceantur, & ad ſtaturam ſuam redeunt. Nemo iſtorum, qvos divitiæ honoresqve in altiore faſtigio ponunt, magnus eſt, qvare ergò magnus videtur? Cum baſi illum ſuâ metiris, non eſt magnus pumilus, licet in monte conſtiterit. Coloſſus magnitudinem ſuam ſervabit, etiamſi ſteterit in puteo. Hoc laboramus errore, ſic nobis imponitur, qvod neminem æſtimamus eo, qvod eſt; ſed adjicimus illi & ea, qvibus adornatus eſt: atqvi, cùm voles veram hominis æſtimationem inire, & ſcire, qvalis ſit? nudum inſpice. Ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipſum exuat; animum intuere, qvalis ſit, & qvantus, alieno, an ſuo magnus? ſi erectis oculis gladios micantes videt, & ſi ſcit ſua nihil intereſſe, utrum anima per os, an per jugulum exeat? beatum voca: ſi, cum illi denunciata ſunt tormenta corporis, & qvæ caſu veniunt, & qvæ potentioris injuriâ, ſi vincula, & exilia, & vanas humanarum mentium formidines ſecurus audit, & dicit: tu hodie iſta denuncias; ego ſemper denunciavi mihi; hominem paravi ad humana, præcogitati mali mollis ictus eſt. Audimus aliqvando voces imperitorum: ſciebam hoc mihi reſtare. Talis eſt Sapientis animus, qvalis mundi ſtatus ſupra Lunam: ſemper illic ſerenum eſt. Habes ergò, qvare velis Sapiens eſſe; qvia nunqvam ſine gaudio eſt: gaudium hoc non naſcitur, niſi ex virtutum conſcientiâ; non poteſt gaudere, niſi fortis, niſi juſtus, niſi temperans. Qvid ergo? inqvis, ſtulti ac mali non gaudent? non magis, qvam prædam nacti leones, cum fatigârunt ſe vino ac libidinibus; cum illos nox inter vitia defecit; cum voluptates anguſto

corpori, ultra qvàm cupiebat, ingestæ, ſuperare cœperunt, tunc exclamant miſeri: Namqve ut ſupremam falſà inter gaudia noctem egerimus! Sapientis gaudium non interrumpitur, non deſinit; deſineret, ſi aliundè ſumptum eſſet.

CAP. XXI.

De tempore utiliter tranſigendo.

Qvem mihi dabis, qvi aliqvod pretium tempori ponat? qvi diem æſtimet? qvi intelligat ſe qvotidiè mori? In hoc enim fallimur, qvòd mortem non proſpicimus. Magna pars ejus jam præteriit; qvicqvid ætatis retrò eſt, mors tenet. Omnes horas complectere; ſic fiet, ut minùs ex craſtino pendeas, ſi hodierno manum injeceris. Dum differtur vita, tranſcurrit: omnia aliena, tempus tantùm noſtrum eſt. Tu malo ſerves tua, & benè tempore uti incipias. nam ut viſum eſt noſtris majoribus: Sera parſimonia in fundo eſt; non enim tantùm minimum in imo, ſed peſſimum remanet. Feſtis maximè diebus animo imperandum eſt; ut nunc voluptatibus obſiſtas ſolus, cùm in illas omnis turba procubuit. Certiſſimum argumentum firmitatis ſuæ capit, ſi ad blanda, & in luxuriam trahentia nec ſpontè it, nec adducitur. Ceterùm adeò mihi placet tentare animi tui firmitatem, ut ex præcepto magnorum Virorum tibi qvoqve præcipiam: interponas aliqvot dies, qvibus contentus minimo cibo, durâ ac horridâ veſte, dicas tibi: hoc eſt qvod timebatur? Miles in mediâ pace decurrit ſine ullo hoſte, vallum jacit, & ſupervacuo labore luxatur; ut ſufficere neceſſario poſſit. Qvem in re ipſa trepidare nolueris, ante rem exerceas: hoc ſecuti ſunt, qvi omnibus menſibus paupertatem imitati propè ad inopiam acceſſerunt; ne unqvam expaveſcerent, qvod ſæpè didiciſſent.

CAP. XXII.

Iracundiæ vitium qvomodò extirpandum.

Non eſt magnus animus, in qvem incurrit injuria. Aut potentior te, aut imbecillior læſit: ſi imbecillior, parce illi; ſi potentior, tibi. Nullum eſt argumentum magnitudinis certiùs, qvàm nihil poſſe, qvo inſtigeris, accidere. Pars ſuperior mundi ac ordinatior, & propinqva ſideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempeſtatem impellitur, nec verſatur in turbinem; omni tumultu caret, inferiora fulminantur: eodem modo ſublimis animus qvietus ſemper, & in ſtatione tranqvillâ collocatus, intra ſe premens, qvibus ira contrahitur, modeſtus & venerabilis eſt, ac diſpoſitus; qvorum nihil invenies in irato. Qvis enim traditus dolori, ac furens, non primam rejecit verecundiam? qvis impetu turbidus, & in aliqvem ruens, non, qvicqvid in ſe verecundi habuit, abjecit? qvis lingvæ imperavit? qvis ullam partem corporis tenuit? qvis ſe regere potuit? Optimum eſt, ad primum ſenſum mali mederi ſibi: facilè eſt autem, affectus ſuos, cùm primùm oriuntur, deprehendere: morbum ſigna præcurrunt. Qvemadmodùm tempeſtatis ac pluviæ ante ipſas notæ eveniunt; ita iræ, amoris omniumqve iſtarum procellarum animos vexantium ſunt qvædam prænuncia. Non expedit, omnia videre, omnia audire: multæ nos injuriæ tranſeunt, ex qvibus pleraſqve non accepit, qvi neſcit. Non vis eſſe iracundus? ne ſis curioſus. Qvi inqvirit, qvid in ſe dictum ſit? qvi malignos ſermones, etiamſi ſecretò habiti ſint, evertit, ſeipſum inqvietat: qvædam interpretatio eò perducit, ut videantur injuriæ: itaqve alia differenda ſunt, alia deridenda, alia donanda. Circumſcribenda eſt multis modis ira: pleraqve in luſum jocumqve vertantur: non, qvemadmodùm facta ſit injuria, refert, ſed, qvemadmodum lata. Qvis ſum, cujus aures lædi nefas ſit? Ignovêre multi hoſtibus, ego

non

non ignoſcam pigris? negligentibus? garrulis? puerum ætas excuſet, fæminam ſexus, extraneum libertas, domeſticum familiaritas: nunc primùm offendit; cogitemus, qvamdiu placuerit, ſæpè & alios offendit; feramus qvod diu tulimus. Amicus eſt, fecit qvòd voluit; inimicus eſt, fecit qvod debuit: prudentiori cedamus, ſtultiori remittamus, pro qvocunqve illud reſpondeamus nobis, ſapientiſſimos qvosqve viros multa delinqvere, neminem eſſe tàm circumſpectum, cujus non diligentia aliqvando ſibi ipſi excidat; neminem tàm maturum, cujus non gravitatem in aliqvod fervidius factum caſus impingat; neminem tàm timidum offenſarum, qvi non in illas, dum vitat, incidat: ſic animo æqviore feret, ab aliqvo lædi, ab aliqvo contemni. Cuicunqve venit in mentem, nullam eſſe tantam potentiam, in qvam non incurrit injuria: multos abſolvemus, ſi cœperimus ante judicare, qvàm iraſci. Maximum remedium iræ, eſt mora; nunc autem primum impetum ſeqvimur: deinde qvamvis vana nos concitaverint, perſeveramus; ne videamur cœpiſſe ſine causſâ, &, qvod iniqviſſimum eſt, pertinaciores nos facit iniqvitas iræ; retinemus enim illam & augemus, qvaſi argumentum ſit juſtè iraſcendi, graviter iraſci. Qvantò meliùs, initia ipſa perſpicere, qvàm levia ſint? qvàm obnoxia? Qvod accidere vides in animalibus mutis, idem in homine deprehendes: taurum color rubicundus excitat; ad umbram aſpis exurgit, urſos leonesqve mappa proritat; idem inqvietis & ſtolidis ingeniis evenit; rerum ſuſpicione feriuntur, adeò qvidem, ut interdum injurias vocent modica beneficia. Crede mihi, levia ſunt, propter qvæ, non leviter excandeſcimus; qvalia qvæ pueros in rixam & in jurgium concitant. Non temperemus iram, ſed ex toto removeamus; qvod enim malæ rei temperamentum eſt? poterimus autem; adnitamur modò, nec ulla res magis proderit, qvàm cogitatio mortalitatis. Sibi qvisqve & alteri dicat: qvid juvat, tanqvàm in æternum genitas, iras inducere, & breviſſimam ætatem diſſipare?

pare? qvid ruimus in pugnam? qvid certamina nobis accersimus? Jam istas inimicitias, qvas implacabili gerimus animo, febris, aut aliud malum corporis vetabat geri; jam, per acerbum, media mors dirimet. Qvid tumultuamur, & vitam seditiosi conturbamus? dum respicimus, qvod ajunt, versamusqve nos; immortalitas aderit.

CAP. XXIII.

Qvòd vera paupertas magnorum bonorum parens sit.

Nulli potest secura vita contingere, qvi de re producenda nimis cogitat; miser est, licet toti mundo imperet. Multas divitias parasse, non finis miseriarum est, sed mutatio. Si vis scire, qvàm nil mali sit in paupertate; compara inter se vultum divitis, & pauperis. Sæpiùs pauper & fideliùs ridet; nullâ solicitudine concutitur, in alto est; cura, velut nubes, transit: nemo ad humanum sangvinem, propter ipsum, venit; nudum latro transmittit, etiam in obsessâ via pauperi pax est. Horum autem, qvi felices vocantur, hilaritas ficta est; hìc enim gravis & sub purpurâ lucet, non palàm, tristitia est, eò qvidem gravior, qvòd interdum palàm non licet esse miseros; sed inter ærumnas, cor ipsum exedentes, necesse est, latere felicem. Divitiæ, honores, potentiæ, & cetera, qvæ hominum opinione chara sunt, precio suo levia: qvæ bona sunt, fiduciam faciunt; divitiæ audaciam; qvæ bona sunt, magnitudinem animi faciunt; divitiæ insolentiam. Divitem illum putas, qvia aurea supellex in via eum seqvitur; qvia in omnibus provinciis arat; qvia magnus Calendarii liber evolvitur; qvia tantum suburbani agri possidet, &, cùm omnia dixeris, pauper est: qvare? qvia debet; qvantum, inqvis? Omnia. nisi fortè judices, interesse, utrum aliquis ab homine, an à fortuna mutuum sumpserit? Qvid ad rem pertinent --- ---

Infrænati ostro alipedes, pictisq; tapetis,
Aurea pectoribus demissa monilia pendent.

O qvantum erat ſeculi decus, Imperatorem triumphalem uno caballo eſſe contentum, & ne toto qvidem! partem ejus ſarcinæ, ab utroqve latere dependentes, occupabant liberi. Illo ergo ſeculo, qvod aureum perhibetur, penes Sapientes fuisſe Regnum, Poſſidonius judicat. Qvid hominum illo genere felicius? In commune rerum Natura fruebatur; ſufficiebat illa, ut parens, in tutelam omnium. Irrupit in res optimas avaritia; dum ſeducere aliqvid cupit, atqve in ſuum vertere, omnia fecit aliena, & multa concupiſcendo, omnia amiſit. Illi, qvos aliqvod nemus denſum à Sole protexerat; qvi adverſus ſævitiam hyemis, aut imbris vili receptaculo tuti, ſub fronte vivebant, placidas tranſigebant ſine ſuſpirio noctes. Solicitudo nos in noſtra purpura verſat, & acerrimis excitat ſtimulis. Mollem ſomnum illis dura tellus dabat; non impendebant cælata laqvearia; ſed in aperto jacentes, ſidera ſuperlabebantur, & inſigne ſpectaculum noctium. Mundus in præceps agebatur: ſilentio tantum opus ducens; tàm inter diem illis, qvàm noctem patebat proſpectus hujus pulcherrimæ domûs: libebat intueri ſigna ex mediâ Cœli parte vergentia; rurſus ex occulto alia ſurgentia; qvidni juvaret vagari inter tàm latè ſparſa miracula? At vos ad omnem tectorum ſonum pavetis, & inter picturas veſtras, ſi qvid increpuit, fugitis attoniti: non habebant domos, inſtar urbium. Spiritus, ac liber inter aperta flatus, & levis umbra rupis, aut arboris, & pellucidi fontes riviq́; non opere, nec fiſtulâ, nec ullo coacto itinere obſolefacti, ſed ſponte currentes, & prata ſine arte formoſa; inter hæc, agreſte domicilium, ruſticâ poſitum manu. Hûc ergò cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, ut contentus ſis temetipſo, & ex te naſcentibus bonis. Projice omnia, ſi ſapis! imò, ut ſapias, ſi qvid eſt, qvo teneris, aut expedi, aut incide! diſcedant aliqvando iſta inſidioſa bona, & ſperantibus meliora, qvàm aſſecutis. Si qvid in eis eſſet ſolidi, implerent aliqvando; nunc haurientium ſitim concitant: qvantum potes, circumſcribe corpus tuum, & animo locum laxa. Nemo naſcitur dives; qvis-

qvisqvis naſcitur in lucem, juſſus eſt lacte & panno eſſe contentus: ab his initiis nos Regna non capiunt: ſic gerere nos debemus, non, tanqvàm propter corpus vivere, ſed tanqvàm non poſſimus, ſine corpore.

CAP. XXIV.

De vitæ hujus miſeriis, ac ærumnis.

Vivere, militare eſt: in omnia ergò præmittendus eſt animus, cogitandumqve, non qvid ſolet, ſed qvid poteſt fieri. Qvid eſt enim, qvod non fortuna, cum voluit, ex florentiſſimo detrahat? qvod non eò magis aggrediatur, & qvatiat, qvò ſpecioſiùs fulget? modò noſtras in nos manûs advocat, modò ſuis contenta viribus invenit pericula, ſine autore. Nullum tempus exceptum; in ipſis voluptatibus cauſæ dolorum inveniuntur; bellum in media pace conſurgit, & auxilia ſecuritatis in metum tranſeunt: ex amico inimicus, hoſtis ex ſocio: in ſubitas tempeſtates hybernisqve majores agitur æſtiva tranqvillitas: ſine hoſte patimur hoſtilia, & cladis cauſſas, ſi alia deficiunt, nimia felicitas invenit. Invadit temperatiſſimos morbus, validiſſimos phthiſis, innocentiſſimos pœna, ſecretiſſimos tumultus: eligit aliqvid novi caſus, per qvod, velut oblitis vires ſuas ingerit: qvicqvid longa ſeries multis laboribus, multa Dei indulgentia flexit, id unus dies ſparſit ac diſſipat: nihil publicè, nihil privatim ſtabile eſt: cogitanda ergò ſunt omnia, & animus adversùs ea, qvæ evenire poſſunt, firmandus. Hoc unum ſcio, omnia mortalium opera mortalitate damnata: inter peritura vivimus, nemo altero fragilior eſt; nemo in craſtinum ſui certior. Alexander Macedonum Rex, diſcere Geometriam infelix cœperat; ſciturus, qvàm puſilla terra eſſet, ex qvâ minimum occupaverat: ita dico, infelix, ob hoc, qvod intelligere debebat; falſum ſe gerere cognomen. Qvis enim tàm Magnus in puſillo eſſe poteſt?

CAP. XXV.

De cœcitate eorum, qvi vitam tranſeunt luxuriâ.

Addiximus animum voluptati; cui indulgere, initium omnium malorum eſt: tradidimus ambitioni, & famæ, ceteris æqvè vanis & inanibus. Qvid ergò nunc te hortor, ut facias? Nihil novi; nec enim novis malis remedia qværuntur; ſed hoc primùm, ut tecum ipſe diſpicias, qvid ſit neceſſarium, qvid ſupervacuum? Non magnam rem facis, qvòd vivere, ſine Regio apparatu potes; qvòd non deſideras milliarios apros; nec lingvas Phænicopterorum, & alia portenta luxuriæ, jam tota animalia faſtidientis, & certa membra ex ſingulis elicientis: tunc te mirabor, ſi non contempſeris etiam ſordidum panem, ſi tibi perſuaſeris, herbas, cùm neceſſe eſt, non pecori tantùm, ſed homini naſci; qvid enim ad rem pertinet, qvid accipiat, perditurus qvicqvid acceperit. Delectant te diſpoſita, qvæ terrâ mariqve capiuntur? alia ergò gratioſa, ſi recentia, perferuntur ad menſam; alia, ſi diu paſta & coacta, pingueſcentia, fluunt, & vix pinguedinem continent ſuam: at iſta, cum ſolicitè ſcrutata & condita ventrem ſubierint, una atqve eadem fœditas occupavit. Vis ciborum voluptatem contemnere? Exitum ſpecta. Hoc itaqve ipſe mihi dico, qvoties tale aliqvid perſtrinxerit oculos meos, qvoties occurrit domus ſplendida, cohors culta ſervorum, lectica formoſis impoſita portitoribus: qvid miraris? qvid ſtupes? pompa eſt; oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur; &, dum placent, tranſeunt. Ad veras te potiùs confer divitias, diſce, parvo eſſe contentus, & illam vocem magnus & animoſus exclama: habeamus aqvam, habeamus polentam! Edendum eſt, utrum hic panis ſit plebejus, an ſimilagineus, ad naturam nihil pertinet. Sitio, utrum hæc aqva ſit ex lacu proximo excepta, an ea, qvam multa nive clauſero, ut rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet: utrum ſit aureum poculum, an cryſtallinum, an vitreum, an Tiburtinus calix, an concha, nihil refert. Nihil ergò te monuiſſe malim, qvàm hoc, qvòd nemo monetur ſatis, qvo, ut omnia, metiaris Naturâ. Qværis, qvali menſâ, qvali argento, qvàm paribus miniſteriis & levibus auferatur menſa? nihil, præter cibum, Natura deſiderat:

rat: ambitiosa non est fames, contenta desinere est, cetera infelicis luxuriæ tormenta sunt. nam si ad te pertinere judicas, qvàm crinitus puer, & qvàm pellucidum tibi poculum porrigat, non sitis. Inter reliqva hoc nobis præstitit Natura præcipuum, qvòd necessitas fastidium excussit, id actum est ab illo mundi Conditore, qvi nobis vivendi jura descripsit, salvi essemus, non delicati; turpe est, beatam vitam in auro & argento reponere: neminem pecunia divitem fecit, imò contra, nulli non majorem sui cupiditatem incussit: post Darium & Indos, pauper est Alexander Macedo; qværit, qvod suum faciat, scrutatur maria ignota, in Oceanum classes mittit novas, & (ut ita dicam) claustra Mundi perrumpit: qværis, qvæ sit hujus rei caussa? Plus incipit habere posse, qvi plus habet: qvi multum habet, plus cupit, qvod est argumentum, nondum illum satis habere, qvi satis habet, consecutus est (qvod nunqvàm divitibus contigit) finem. Nunqvàm parum est, qvod satis est; nunqvàm satis est, qvod multũ. Utamur ergò hoc naturæ beneficio, inter magna numeranda, & cogitemus, nullo nomine meliùs illam de nobis meruisse; qvia, qvicqvid ex necessitate desideratur, sine fastidio sumitur.

CAP. XXVI.

Qvòd homo solâ ratione omnibus creatis præstet.

Nullo modo magis prodesse possum, qvàm si tibi bonum tuum ostendo, si te à mutis animalibus separo, si cum Deo pono. Qvid vires corporis alis & exerces? natura pecudibus istis majores concessit. Qvid excolis formam? cùm omnia feceris, à multis animalibus decore vinceris. Qvid capillum ingenti diligentiâ comis? cùm illum vel effuderis, more Parthorum; vel Germanorum more vinxeris; vel, ut Scythæ solent, sparseris; in qvolibet eqvo densior jactabitur juba, horrebit in leonum cervice formosior. Cùm te ad velocitatem paraveris, par lepusculo non eris. Vis tu relictis, (in qvibus vinci te necesse est, dum in aliena niteris,) ad bonum

num reverti tuum? qvid eſt hoc? Animus ſcilicet emendatus, & purus, æmulator Dei, ſuper humana ſe extollens, nihil extra ſe ſui ponens rationalis animalis. Qvod ergò vitæ bonum eſt? Perfecta ratio: hanc tu ad ſummum finem evoca; in qvantum poteſt, plurimum creſcere: tunc te beatum eſſe judica, dum tibi gaudium omne naſcetur: cum vides, qvæ homines eripiunt, optant, cuſtodiunt, nihil inveneris, non dico, qvod malis, ſed qvod velis. Brevem tibi formulam dabo, qvâ te metiaris, qvà perfectum eſſe te ſentias: tunc habebis tuum bonum, cùm intelliges infeliciſſimos eſſe felices.

CAP. XXVII.

De eminentiâ liberæ mentis Virtutibus excultæ.

Nulla virtus latet, & latuiſſe non ipſius eſt damnum. Veniet, qvi conditam, & ſeculi ſui malignitate compreſſam dies publicet: paucis natus eſt, qvi populum ætatis ſuæ cogitat; multa annorum millia, multa populorum ſeqventur: ad illa reſpice, etiamſi omnibus, tecum viventibus, ſilentium livor indixerit: venient, qvi ſine offensâ, ſine gratiâ judicent: nihil ſimulatio proficit, paucis imponit leviter, extrinſecùs inducta facies; veritas in omnem partem ſui ſemper eadem eſt. Summum bonum animus eſt, fortuita deſpiciens, virtute lætus, aut invicta vis animi, perita rerum, placida in actu, cùm humanitate multà: libet itaqve definire, ut beatum dicamus hominem illum, cui nullum bonum malumqve ſit; niſi bonus malusqve animus, honeſti cultor, virtute contentus, qvem non extollunt, non frangunt fortuita: qvi nullum majus bonum noverit eo, qvod ſibi ipſi dare poteſt: cui vera voluptas erit, voluptatum contemptio. Virtus altum qviddam eſt, excelſum, & regale, invictum, infatigabile: voluptas ſervile, humile, imbecillum, caducum; ejus ſtatio fornices & popinæ. Virtutem in templo invenies, voluptatem latitantem ſæpiùs, ac tenebras captantem, circa loca ædilem metuentia, mollem, enervem, mero ac ungvento madentem, palli-

pallidam ac fucatam & medicamentis pollutam. Nunqvàm recta mens vertitur, nec sibi odio est, nec qvicqvam mutavit; qvia semper secura est optima: at voluptas, cùm maximè delectat, extinguitur. Qvisqvis ad Virtutem accessit, dedit generosæ indolis spem; qvi voluptatem seqvitur, videtur enervis, fractus, degenerans, &, qvò magis implentur, eò magis inexplebiles sunt. Ut feras cum labore periculoq; venamur, & captarum qvoq; illarum solicita possessio est; sæpè enim laniant dominos: ita voluptates, qvò plures majoresqve sunt, eò illo minor ac plurium servus est, qvem felicem vulgus appellat: & vos qvidem, qvi Virtutem ejusqve cultorem odistis, nihil novi facitis. nam & Solem ægra lumina formidant, & aversantur diem splendidum; ergò in virtute posita est vera felicitas, ad hoc sacramentum adacti sumus: *ferre mortalia, nec perturbari his, qvæ nostræ potestatis non sunt*. In regno libertas non est; in regno nati sumus, *Deo parere, libertas est*. Qvare audacter licet profiteri, summum bonum esse *Concordiam*; virtutes enim ibi esse debebunt, ubi consensus atqve unitas erit, discedent vitia. Sed tu qvoqve inqvis, Virtutem non ob aliud colis, qvàm qvia aliqvam ex illâ voluptatem speras: primùm, non, si Voluptatem præstatura est Virtus, ideò propter hanc petitur, sed labor ejus, qvamvis aliud petat, hoc qvoqve asseqvetur: sicut in agro, qvòd segete proscissus est, aliqvi flores internascuntur, non tamē huic herbulæ, qvamvis delectet oculos, tantum operis insumptū est, aliud fuit serenti propositum; sic voluptas non est merces, aut causa *Virtutis*, sed accessio.

CAP. XXVIII.

Avaritiâ præcipitari homines in plurima flagitia.

Nulli nos vitio Natura conciliat; illa liberos ac integros genuit. nihil enim, qvod avaritiam nostram irritaret, posuit in aperto; pedibus aurum & argentum calcandum, ac premendum dedit; &, qvicqvid est, propter qvod calcamur ac premimur. Illa vultus nostros erexit in Cœlum, &

qvicqvid

qvicqvid magnificum mirumqve fecerat, videri à suspicientibus voluit; hæc supra nos Natura disposuit. Aurum qvidem & argentum, & propter ista nunqvàm pacem agens ferrum, qvasi malè nobis committerentur, abscondidit; nos in lucem, propter qvæ pugnaremus, extulimus. Nos & caussas periculorum nostrorum & instrumenta, disjecto terrarum pondere, eruimus. Nos fortunæ mala nostra committimus, nec erubescimus, summa apud nos haberi, qvæ fuerant ima terrarum. Vis scire, qvàm falsus oculos tuos decipit fulgor? nihil est istis, qvàm diu mersa & involuta sunt ac cœno suo jacent, fædius, nihil obscurius. Qvid enim? qvando per longissimorum cuniculorum tenebras extrahuntur? nihil est illis, dum fiunt, & à fæce sua purgantur, informius. Deniqve ipsos opifices intuere, per qvorum manus sterile terræ genus & informe perpurgatur; videbis, qvantâ fuligine oblinantur: atqvi ista magis inqvinant animos, qvàm corpora; & in possessore eorum, qvàm in artifice, plus est sordium. Si vis exercere tibi utile, nulli autem grave imperium, submove vitia. Multi inveniuntur, qvi ignem inferant urbibus, qvi expugnabilia seculis, & per aliqvot ætates tuta prosternant, qvi æqvum arcibus aggerem attollant, & muros in miram altitudinem adductos arietibus ac machinis qvassent. Multi sunt, qvi antè se agant agmina, & tergis hostium graves instent, & ad mare magnum, perfusi cæde gentium, veniant, sed hi qvoqve, ut vincerent hostem, cupiditate victi sunt; nemo illis venientibus obsistit; sed nec ipsi ambitioni crudelitatiqve restiterunt; dum alios agere visi sunt, agebantur, ideoqve, cum multis fuerunt mali, pestiferam illam vim, qvâ plerisqve nocuerunt, ipsi qvoqve sentiunt. Non est, qvòd credas, qvemqvam fieri alienâ infelicitate felicem.

CAP. XXIX.

Qvòd homines ducant maximi res viles.

Omnes qværimus, non qvare & unde? qvid habeas, tantùm rogant. Ubiqve tanti qvisqve, qvantum habuit, fuit;

nulla

nulla tamen avaritia ſine pœna eſt; qvamvis ipſa ſit pœnarum maxima. O qvantum lacrymarum! ô qvantum dolorum exigit! qvàm miſera deſideratis! qvàm miſera parturitis! adjice qvotidianas ſolicitudines, qvæ pro modo qvemqve diſcruciant: majore tormento pecunia poſſidetur, qvàm qværitur: qvantum damnis ingemiſcunt! qvæ & magna incidunt, & majora videntur. At felicem illum homines & divitem vocant, & conſeqvi optant, qvantum ille poſſidet? fateor; qvid ergò? Tu illos conditionis pejoris eſſe exiſtimas, qvàm qvi habet & miſeriam, & invidiam? Utinam, qvi divitias optaturi eſſent, cum divitibus deliberarent! Utinam honores petituri cum ambitioſis & ſummum adeptis dignitatis ſtatum, eſſent! profectò vota mutaſſent; cùm illi interim nova ſuſpiciant, cùm priora damnaverint. nec enim eſt, cui felicitas ſua, etiamſi curſu venit, ſatisfaciat. Abſtrahunt à recto divitiæ, honores, potentia, & cetera, qvæ opinione noſtrâ cara ſunt; precio ſuo vilia. Neſcimus æſtimare res, de qvibus non cum famâ, ſed cum rerum Natura deliberandum eſt; nihil habent iſta magnificum, qvò mentes noſtras in ſe trahant, præter hoc, qvòd mirari illa conſvevimus; non enim, qvia concupiſcenda ſunt, laudantur; ſed concupiſcuntur, qvia laudata ſunt.

CAP. XXX.

Qvòd Sapiens totius Mundi ſit Dominus.

Nulla fortuna, nulla res actûs Sapientis excludit; ad utrosqve caſus aptus eſt, bonorum rector eſt, malorum victor; ſic Sapiens Virtutem, ſi licebit, in divitiis explicabit; ſi minùs, in paupertate; ſi poterit in patria; ſi minùs, in exilio; ſi poterit à ſe, Imperator; ſin minùs, miles; ſi poterit integer, ſi minùs, debilis; qvamcunqve fortunam acceperit, aliqvid ex illa memorabile efficiet. Certi ſunt domitores ferarum, qvi ſæviſſima animalia, & ad occurſum terrentia hominem, docent pati jugum, nec aſperitatem excuſſiſſe contenti, usq; in contubernium mitigant. Leonibus magiſter manum inſertat, oſculatur Tigrim ſuus cuſtos: Elephantem minimus æthiops jubet ſubſidere in genua, & ambulare per funem. Sic

 Sapiens

Sapiens eſt artifex domandi mala: dolor, egeſtas, ignominia, carcer, exilium, ubiq; horrenda, cum ad hunc pervenére, manſveta ſunt.

CAP. XXXI.

Pulchritudine animi corpus exornari.

Errare mihi viſus eſt, qvi dixit: *Gratior eſt pulchro veniens è corpore Virtus.* Nullo enim honeſtamento indiget, ipſa magnum ſui decus eſt, & corpus ſuum conſecrat. Poteſt ex caſa vir magnus exire, poteſt & ex humili deformiq; corpuſculo formoſus animus ac magnus. Qvosdam igitur videtur mihi in hoc, Natura, tales generare, ut approbet, Virtutem omni loco naſci: ut ſcire poſſemus, non deformitate corporis animum fædari, ſed pulchritudine animi corpus ornari. Omnis res, qvòd non habuit decus, Virtute additâ, ſumit. Cubiculum lucidum dicimus, hoc ipſum obſcuriſſimum eſt nocte; dies illi lucem infundit, nox tenebras: ſic iſtis, qvæ à nobis media dicuntur, divitiis, formæ, honoribus, regno, & contrà: morti, exilio, malæ valetudini, doloribus, qvæqve alia aut minùs, aut magis pertimuimus, malitia aut Virtus dat boni, aut mali nomen.

CAP. XXXII.

De Φιλαυτίᾳ.

Citò nobis placemus, ſi invenimus qvi nos viros bonos dicat, qvi prudentes, qvi ſanctos, agnoſcimus: non ſumus modicâ laudatione contenti; qvicqvid in nos adulatio, ſine pudore, congeſſit, tanqvàm debitum prêndimus: optimos nos eſſe ſapientiſſimosq;, affirmantibus aſſentimur; cùm ſciamus, ſæpè multa mentiri. Adeò qvoqve indulgemus nobis, ut laudari velimus in id, cui contraria qvàm maximè facimus. Mitiſſimum ſe ille in ipſis ſuppliciis audit, in rapinis liberaliſſimum, in ebrietatibus ac libidinibus temperantiſſimum: ſeqvitur itaqve, ut ideò mutari nolimus; qvia nos optimos eſſe credimus. Alexander, cùm jam in Indiâ vagaretur, ut gentes in finitimis ſatis notas, bello vaſtaret, in obſidione cujusdam Urbis, dum circumit muros, & imbecillima mænium qværit, ſagittâ ictus diu perſtitit in re, & incœpta agere perſevera-

ſeveravit; deinde, cùm repreſſo ſangvine ſicci vulneris dolor excreſceret, & crus eqvo ſuſpenſum paulatim obtorpuisſet, coactus abſiſtere: Omnes, inqvit, jurant me Jovis filium eſſe; ſed vulnus hoc hominem eſſe me clamat: idem faciamus, cum pro ſuâ qvemqve portione adulatio infatuat. Dicamus: vos qvidem prudentem me eſſe dicitis, ego autem video, qvàm multa nocitura optem; ne hoc qvidem intelligo, qvod animalibus ſatietas monſtrat, qvis cibo, qvis potioni modus, qvantum capiam? adhuc neſcio.

CAP. XXXIII.

De abominando ebrietatis vitio.

Qvàm turpe eſt, plus ſibi ingerere, qvàm capiat, & ſtomachi ſui non noſſe menſuram! qvàm multa ebrii faciunt, qvibus ſobrii erubeſcunt! Nihil aliud eſt ebrietas, qvàm voluntaria inſania: refert Alexandri Macedonis exemplum, qvi Clytum ſibi cariſſimum ac fideliſſimum, inter epulas transfodit, &, intellecto facinore, mori voluit, certè debuit. Eruit omne vitium ebrietas ac detegit: obſtantem malis conatibus verecundiam removet; ubi poſſedit animum nimia vis vini, qvicqvid mali latebat, emergit: tunc petulans non lingvam, non manum continet, creſcit inſolenti ſuperbiâ, crudelitas ſævo, malignitas livido; omne vitium detegitur, & prodit; adjice lingvam, ignoratione ſui dubiam, & parùm explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipſa mobilia, velut aliqvo turbine circumagentem totam domum, ſtomachi tormenta, cùm efferveſcit vinum ac viſcera diſtendit. Cogita, qvas clades ediderit publica ebrietas! hæc acerrimas gentes bellicoſasqve hoſtibus tradidit: hæc multorum annorum pertinaciâ bello defenſa mænia patefecit: hæc contumaciſſimos & jugum recuſantes in alienum egit arbitrium, hæc invictas acies mero domuit. Alexandrum tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per qvas victâ temporum locorumq; difficultate tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiſerunt; intemperantia bibendi, & ille Herculaneus ac fatalis ſcyphus condidit. Qvæ gloria eſt, capere multum? cùm penes te palma fuerit, & propinationes

tuas ſtrati ſomno ac vomitantes recuſârint; cùm ſuperſtes tot conviviorum fueris: cùm omnes viceris Virtute magnificâ, & nemo tàm vini capax fuerit; vinceris à dolio.

CAP. XXXIV.

Animi imperio, corporis ſervitio utendum.

Sapiens ait: neminem Regem non ex ſervis eſſe oriundum; neminem non ſervum ex Regibus; omnia iſta longa varietas miſcuit, & ſurſum deorſumq; fortuna verſavit. Qvis ergo generoſus? ad Virtutem benè à Naturâ compoſitus. Nunc ipſe te conſule, ſi nunqvàm mæſtus es, nulla ſpes animum tuum futuri exſpectatione ſolicitat; ſi per dies noctesqve æqvalis animi tenor erecti & placentis ſibi eſt: perveniſti ad humanam boni ſummam; ſed ſi appetis voluptates, ſcito, tantum tibi ex ſapientiâ, qvantum ex gaudio deeſſe: inter honores, idem gaudium inter ſolicitudines qværis: omnes, inqvam, illi tendunt ad gaudium; ſed unde ſtabile magnumqve acqvirant, ignorant. Ille ex conviviis & luxuriâ: ille ex ambitione & circumfuſâ clientum turbâ: ille ex amicâ: alius ex ſtudiorum liberalium vanâ oſtentatione, & nihil ſonantibus literis; omnes iſtos oblectamenta fallacia, & brevia decipiunt. Sicut ebrietas, qvæ unius horæ hilarem inſaniam longi temporis tædio penſat; ſicut plauſus & acclamationis ſecundæ favor, qvi magnâ ſolicitudine & partus eſt, & expiandus. Iſta, qvæ ſic petis, tanqvàm datura lætitiam ac voluptatem, cauſæ dolorum ſunt.

CAP. XXXV.

Profectum noſtrum in adverſitatibus creſcere debere.

Si vis beatus eſſe, ſi fide bonâ vir bonus; ſine, contemnat te aliqvis, & te ſtultum alicui videri, ſine; qvisqvis tibi volet contumeliam, faciat & injuriam, tu tamen nihil patieris; ſi modò tecum erit *Virtus*. Qvid miraris, ſi uri, vulnerari, occidi, alligari juvat? luxurioſo frugalitas pœna eſt, pigro, ſupplicii loco labor eſt: delicatus miſeretur induſtrii, deſidioſo ſtudere, torqveri eſt: eodem modo hæc, ad qvæ omnes imbecilli ſumus, dura ac intoleranda credimus obliti; qvàm multis tormentum ſit, vino carere, aut primâ luce excitari. Non

iſta

ista difficilia sunt, sed nos nudi & enermes: magno animo de rebus magnis judicandum est; alioqvi videbitur illarum vitium esse, qvod nostrum est: sic qvædam rectissima, cùm in aqvam demissa sunt, speciem curvi præfractiqve visentibus reddunt: magna pars est profectûs, *velle proficere*. Properemus; ita demùm vita beneficium erit, alioqvin mora est, & qvidem turpis inter fœda versantibus. Id agamus, ut nostrum omne tempus sit; non erit autem, nisi nos priùs nostri esse cœperimus. Qvandò continget, omnibus oppressis affectibus, & sub arbitrium adductis, hanc vocem emittere: Vici! qvem vicerim, qværis? Non Persas, nec extrema Medorũ, nec, si qvid ultra Dacas bellicosum jacet; sed avaritiam, sed ambitionem, sed metum mortis, qvi victores gentium vicit.

CAP. XXXVI.

Vitiosos homines humanam naturam exuere.

Omnia vitia contra Naturam pugnant; omnia debitum ordinem deserunt: hoc est luxuriæ propositum, gaudere perversis, nec tantùm discedere à rectô, sed qvàm longissimè abire. Turpis, qvi alto Sole jacet semisomnis, cujus vigilia medio die incipit, & adhuc multis hoc antelucanum est. Sunt, qvi officia lucis noctisqve pervertunt, nec antè diducant oculos hesternâ graves crapulâ, qvàm appetere nox cœpit; qvalis illorum conditio dicitur, qvos Natura sedibus nostris subditos è contrario posuit; --- ---

Nosq; ubi primus eqvis Oriens afflavit anhelis,
Illis sera rubens accendit lumina Titan.

Talis horum contraria non regio, sed vita est; tàm infausti homines sunt, qvàm nocturnæ aves, licet in vino unguentoq; tenebras suas exigant; licet epulis, & in multa qvidem pericula decoctis, totum perversum vigiliæ tempus educant; non convivantur, sed justa sibi faciunt mortuis, ante mortem, interdiu parentant. Aves, qvæ conviviis parantur, ut immotæ facilè pinguescant, in obscuro continentur; ita sine ullâ exercitatione jacentibus tumor pigrum corpus invadit, & in superba umbra iners sagina succrescit; at istorum corpora, qvi se tenebris dicaverunt, fœda visuntur: qvippe non specio-

ſior illis, qvàm morbo pallentibus color eſt: langvidi & macidi albent, & in vivis caro morticina eſt. Hoc tamen minimum in illis malorum dixerim, qvantò plus tenebrarum in animo? ille in ſe ſtupet, ille caligat. Non videntur tibi contra Naturam vivere, qvi commutant cum fæminis veſtem? Non vivunt contra Naturam, qvi hyeme concupiſcunt roſam, fomentoqve aqvarum calentium, & calore aptâ imitatione brumalium florem vernum exprimunt? Non vivunt contra naturam, qvi pomaria in ſummis turribus ſerunt: qvorum ſilvæ in tectis domorum ac faſtigiis nutant? inde ortis radicibus, qvò improbè cacumina egiſſent? Cùm inſtituerunt omnia, contra Naturæ conſvetudinem velle, noviſſimè in totum ab illâ deſciſcunt. Lucet ſomni tempus, qvies eſt, nunc exerceamur, nunc geſtemur, nunc prandeamus; jam lux propiùs accedit, nunc tempus eſt cœnæ. Non oportet id facere, qvod populus: res ſordida eſt, tritâ ac vulgari viâ incedere; dies publicus relinqvatur proprius nobis: iſti mihi defunctorum loco ſunt. Qvantulum enim à funere abſunt eqvidem acerbo, qvi ad faces ac cereos vivunt! Cauſa præcipua mihi videtur hujus morbi, vitæ communis faſtidium; ideò tenenda nobis via eſt, qvam Natura præſcripſit, nec ab illâ declinandum; contra illam nitentibus non alia vita eſt, qvàm aqvam remigantibus.

CAP. XXXVII.

In quo conſiſtat vera hominis felicitas.

Summum bonum in animo conſtituamus: obſoleſcit, ſi ab optimâ noſtri parte ad peſſima tranſit, & transfertur ad ſenſûs, qvi agiliores ſunt animalibus mutis. Non eſt ſumma felicitatis noſtræ in carne ponenda. Bona illa ſunt vera, qvæ Ratio dat, ſolida ac ſempiterna; qvæ cadere non poſſunt, nec decreſcere qvidem aut minui; cetera opinione ſunt bona, & nomen qvidem commune habent cum veris; ſed proprietas in illis bonis non eſt. Ceterùm ſciamus, mancipia noſtra eſſe, non partes; ſint apud nos, ſed ita, ut meminerimus, extra nos eſſe; etiamſi apud nos ſint: inter ſubjecta & humilia numerentur, propter qvæ nemo ſe attollere debeat. Qvid enim ſtultius,

ſtultius, qvàm aliqvem eo ſibi placere, qvod non fecit? Omnia iſta à nobis abſcedant, non hæreant, ut, ſi abducantur, ſine ullâ noſtri laceratione diſcedant: utamur illis parcè, tanqvàm depoſitis apud nos, & abituris. Stilpo capta patriâ, amiſſis liberis, amiſsâ uxore, cùm ex incendio publico ſolus, & beatus tamen exiret, interroganti Demetrio, nunqvid perdidiſſet? Omnia, inqvit, bona mea mecum ſunt: *Juſtitia, Virtus, Temperantia, Prudentia.* Si cui, inqvit, bona ſua non videntur ampliſſima, licet totius Mundi dominus ſit, tamen miſer eſt. Miſer eſt, qvi ſe non beatiſſimum judicat, licet mundo imperet.

CAP. XXXVIII.

Vitia seriò tollenda, anteqvàm mors obruat.

Falſa hæc eſt ſententia: Nemo aliter, qvàm, qvomodò natus eſt, exit è vitâ: pejores morimur, qvàm naſcimur: noſtrum iſtud, non Naturæ vitium eſt; illa de nobis conqveri poteſt & dicere: qvid eſt hoc? ſine perfidiâ, ſine timore, ſine ſuperſtitione, ceteriſq; peſtibus vos genui: qvales intraſtis, tales exite! Percepit Sapientiam, ſi qvis tàm ſecurus moritur, qvàm naſcitur; nunc verò trepidamus, cùm periculum acceſſit; non animus nobis, non color conſtat, lacrymæ nihil profuturæ cadunt. Qvid eſt turpius, qvàm in ipſo limine ſecuritatis eſſe ſolicitum! cauſa autem hæc eſt, qvòd inanes omnium bonorum ſumus, vitæ deſiderio laboramus: nemo, qvàm benè vivat, ſed qvamdiu, curat; cùm omnibus poſſit contingere, ut benè vivant, ut diu, nulli. Male vivunt, qvi ſemper vivere incipiunt; qvia ſemper illis imperfecta vita. non poteſt autem ſtare paratus ad mortem, qvi non incipit vivere; id agendum eſt, ut ſatis vixerimus. Qvidam vivere tunc incipiunt, cùm deſinendum eſt; ſi hoc judicas mirum, adjiciam, qvod magis admireris: qvidam antè vivere deſierunt, qvàm inciperent.

SOLI DEO GLORIA!

SYLLABUS CAPITUM.

F I N I S.

005265104

